ALOISII LANZII

INSCRIPTIONUM

ET

CARMINUM

LIBRI TRES.

FLORENTIAE MDCCCVII.

TYPIS CARLI ET SOC. IN VICO SS. APOSTOLORUM

SUPERIORUM FACULTATE.

EMINENTISS. PRINCIPI

ANTONIO FELICI ZONDADARIO

ÇARD. ARCH. SEN.

ALOISIUS LANZIUS

Qui libros suos, Princeps Eminentissime, alteri dicant, eos non unam caussam proferre consilii sui video; veterem erga eum observantiam; patroni ipsius merita in Rempublicam; spem certam, probaturos se multitudini quae ille muneris acceptione sese probasse, et in numero aliquo habuisse testatus sit. Haec si ego, dum opellam hanc latinarum Inscriptionum tibi nuncupo, singula persequi fusius velim, difficilius sit orationis exitum quam principium invenire. Etenim in tuam, familiaeque tuae fidem, ac familiaritatem jamdiu receptus, vix credibile dictu est quot beneficiis, quamque mihi opportunis, studium in vos meum obligaveritis, plura etiam daturi, si plura vellem. Nam tua in Christianam Rempublicam merita Melitensis illa et Belgica legatio comprehendit, tum Collegii de Propaganda Religione praefectura, tum denique Patriae Pontificatus; quae quidem tanta sunt, tamque insignia, ut purpureum gestamen, fastigium honorum, quos Ecclesia dat,

eo jure, quo qui optimo, sis consecutus. Magna autem, eademque verissima de te opinio in mentibus insedit, non minus te divinarum quam humaniorum litterarum esse peritum, ut ipsa libri acceptio commendationem illi non vulgarem paritura esse videatur. Sed enim propriora sunt quae me ad hoc officium tibi maxime exhibendum impulerunt, et ad rem accomodatiora. Possum enim tibi dicere totidem verbis quod Cornelio Catullus: „ namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas „. Neque id satis. Nam me aliud cogitantem primus cohortatus es, ut hos titulos dispalatos, multisque in urbibus dispersos, unum in locum congregarem, in classes distinguerem, in vulgus ederem. Negotium etiam dedisti V. C. Caesari Gagnonio Canonico, ut typographum inveniret, a quo nostra proferrentur; quod vir in te officiosissimus meique amantissimus fecit; sed ejus primum obitus, deinde typographi mutatio soli in caussa fuit cur alia conditione uteremur. Qua usis nobis paullatim opus ad exitum est deductum. „ Quare habe tibi „ ut cum Catullo concludam „ quidquid hoc libelli est, qualecumque „; quem si „ plus uno saeclo „ vivere exoptem ac Superos ea de re precer, faciam non gloriae cupiditate, quae tam parvo nec emi potest, nec si posset, velim; sed uti quam diutissime maneat meae in te observantiae pignus, et significatio voluntatis.

AD LECTOREM

Est hujus temporis, atque horum morum, amice lector, in queis vivimus, rerum praeteritarum reprehensio, et quasi satietas; nihil plane ut invenisse veteres videantur, nihilque gessisse, quod non hujus saeculi consilio sapientiaque emendari, et corrigi, et mutari in melius mereatur. Id ego plurimis in locis observatum, justa et rationabili de caussa, et cum ingenti Reipublicae utilitate factum arbitror in rebus multis; in aliis vero nullam reperio caussam, cur a pristino more discessum sit, nisi eam unam, quod nihil in Orbe Terrarum perpetuum, nihil non mutabile inveniri possit. Consuetudinum vero, quae jam immutantur nulla est ita expers rationis, uti ea, quae publica monumenta, latine antea perscripta, nunc denique vernacula cujusque regionis lingua signanda esse non modo aliqui putant, sed quovis pignore contendunt: adeo ut qui in latino stylo acuendo poliendoque versamur, aliis eorum irridendi, aliis miserandi videamur. Sed ii plerique non aliam interponere veram caussam possunt sententiae suae, nisi insolentiam latinitatis: cupidissimi enim sunt sua in marmore inscribendi: sed quum nesciant proferre nisi vernacula, inscitiae suae velamentum quaerunt in publica utilitate: qui si latine aliquando sciant, non dubito patrocinium alterius causae suscepturos. Ego vero declamatores istos, qui mortuis linguis praeferunt vivas; qui eas coli vetant, quarum fructus in praesens exiguus sit, vel etiam nullus; istos, inquam, declamatores nihil admodum pensi habeo; qui se inlitteratos, qui idiotas, qui rudes fateantur necesse est; et tamen ita animosi volunt esse, ut rationem scribendi tradendique posteritati, quae volumus, ab se peti dicant oportere.

Sunt tamen alii, quos non tam tarditatis, quam falsi judicii argueris; qui rationes hujus moris proferunt non poenitendas. Hos inter auctor cujusdam libelli est, qui prodiit Augustae Taurinorum an. 1786. cum hoc titulo: *Lezione intorno le iscrizioni volgari all' Accademia Fiorentina*. Nomen omisit, quod et ego nunc facio, quamquam si appellarem praefari liceret *quem honoris caussa nomino*; ita est eruditus antiquitatis, et in dicendo elegans, et pressus in arguendo. Summa vero ejus doctrinae est, quum publica monumenta ad omnium notitiam pervenire debeant, omnium item lingua scribenda esse; neque oportere latine, quae lingua perpaucorum est, ea tradi literis: exceptis iis locis in quibus latinitas vivit, templa puta, Curias, Lycea, Academias, Canonicorum aedes, et Monachorum. Ceterum temporarios titulos, quos pro templis etiam poni videmus ad movendam publicam laetitiam, et dolorem publicum, quales in sanctorum honoribus, in funeribus optimatium, in gratulationibus urbium solent adhiberi, in quibus civium animis quasi faces sunt admovendae, uti exultent, moereant, adplaudant; hos, inquam, titulos puram putam exhibere latinitatem; id erit profecto quasi obmutescere multitudinis respectu, et cum doctis, quorum numerus exiguus ubique est, solis velle sermocinari. Quinimmo neque cum doctis omnibus: quotus enim quisque est, qui linguam inscriptionum selectissimam calleat, et in ea explananda non adlaboret? quae in magistratibus, quae in gradibus militiae, quae in officiis societatis, dum vicina priscis, non eadem cum priscis verba profert, circumlocutiones adhibet quasdam, quas magister ipse Morcellius, tum reliqui in hoc genere insignes Aegyptius, Mazzocchius, Paciaudius non sine commentario aliquo reliquerunt. Placeat ergo reliquis in locis ista latinitas; at ubi populus admonendus est, atque adloquendus, ne a Latinis ipsis discedamus. Hi quum graecam linguam anteponerent suae vel dignitate vel copia, nunquam tamen eam victoriis signandis, luctui publico significando, gratulationi indicendae usi sunt, sed

latina; quod aliae item Orbis Terrae Gentes, uti splendidissimis idem Auctor demonstrat exemplis, factitavere.

Haec summa totius in latinas inscriptiones disputationis. Quae si in Scythia aliqua, aut India jactarentur, minus certe haberent reprehensione dignum. Nunc vero in Italia jactari, in qua latinae Ecclesiae sedes est, ubi vivens potius quam intermortua latinitas dici potest, ubi quilibet de populo significationem latini tituli si non per se, at per alios habet promptam, et paratam, vix est ferendum. Adde quos celebrationes solemnitatum stimulos animis addere consueverunt. Ecquis est qui non magis concursu hominum, sermocinatione amicorum, forma ipsa spectaculi moveatur ad gaudium, vel ad moerorem, quam verbis, quae nisi brevia, ac modica titulus praeferat, vana sunt? Deinde quae ratio est, uti intra templi fines non nisi latina proponantur, extra autem, et in facie templorum italica? Numquid non diutius intra septa templi populares morantur, quam praetereuntes frontem ejus, ac primorem faciem contemplantur? Est ergo fructus perparvi, maximeque reparabilis ista linguarum commutatio: at mos priscus, uti latinos titulos tum intra, tum extra se gerant, quantam habet consonantiam!

Adde his, quod latinitas ipsa sui conditione titulorum capax, et ad titulos facta esse videatur. Quae enim est gravior, numerosior, brevior, ut multa paucis concludere, et cum varietate eloqui possit? Non heic passivorum περίφρασις, non verborum, aut nominum quaedam indicationes, quae dum orationem faciunt longiorem, vim ejus extenuent, atque opprimant. Vere illud ac sapienter dictum, Romanos similem imperio suo linguam habuisse, dignam qua leges Orbi terrarum scriberentur, plenam decoris, plenam gravitatis, plenam majestatis. Quo in genere titulum a Plinio relatum ex trophaeo Alpium ita mirari soleo, ut centies repetitus, pulchrior semper, et a Divo aliquo profectus, magis quam ab homine videatur. Ecce illum (1).

(1) Plin. Hist. Natur. lib. III. cap. 20.

IMP · CAESARI · DIVI · F · AVG . P · M · IMP · XIII · TRIB · PL ·
S · P · Q · R ·
QVOD · EIVS · DVCTV · AVSPICIISQVE
GENTES · ALPINAE · OMNES
QVAE · A · MARI · SVPERO · AD · INFERVM · PERTINEBANT
SVB · IMPERIVM · POP · R · SVNT · REDACTAE ·

Atqui si eum vertas italice, pereat necesse est tanta, et brevitas, et majestas; et vulgare quiddam sonet, quod linguae unius veluti fascino supra humanam conditionem natum, sortemque dixisses. Ejus autem rei tentamen subjicio, quod sicui minime probabitur, aliis atque aliis verbis convertat, modo italicis; semper sine ulla dubitatione latinis cedent. *All' Imperator Cesare, Figlio del Dio Giulio, Augusto, Pontefice Massimo, Imperatore per la XIII. volta, Tribuno della Plebe, il Senato, e il Popolo Romano perchè tutte le genti delle Alpi, che dal mar superiore all' inferiore arrivavano, sotto la condotta, e gli auspicj di lui in poter del popolo romano son ridotte*. Ecquid est quod perplacere aeque possit? ubi concisio tam multis, et frequentibus particulis impedita? ubi numerus ille, qui ex tam variis, aptisque verborum conclusionibus, et ex mensura ipsa vocabulorum existebat? ubi majestas, quae spiritu uno concludit omnia, et plus cogitare suadet quam dicitur?

Hi si fructus sunt, quos latinitas pollicetur, valeant mihi popelli vota ex lectione sua italica, non ex doctorum interpretatione, gratulari et moerere cupientis. Est ne tanti iste moeror, et gratulatio, ut latinitas paullatim exulet, et omnia eo recidant, ut barbarorum more linguam colere nullam velimus, nisi quam noscitat vulgus? Paullatim, inquam: nam humani ingenii ea natura est, ut facile a difficilioribus ad faciliora prolabatur, nisi mos obstet, aut gravior aliqua caussa. Ceterum ubi mos fuerit, ut in fronte aedium sacrarum vernaculi tituli suspendantur, dubitabunt, credo, auctores eorum muros quoque earundem vernaculis inquinare. Nondum in Auctoris sententiam discessum

est: et tamen proximis hisce annis coeptum, ut mortuorum tituli intra templi septa italice proponantur. Necdum sunt ita multi; quin etiam audio, Bononiae quum essent nonnulli, eos verso lapide in latinos mutatos; quod dignitas viri eruditissimi Philippi Schiassii Lycei doctoris ita mentes perculisset; ut etiam inimicissimos latinitatis ad ejus requirenda epitaphia compulisset. Idem credo in aliis posse usuvenire, qui primas sibi in ejusmodi inscriptionibus contexendis in Italia vindicant.

Verum quot hi sunt si cum illitteratis, et idiotis conferantur? praesertim quum ita jaceant haec studia latinitatis inter adolescentes, ut litteratorum jactura reparari aliorum successione non posse videatur; et unius viri auctoritas maximam istam conversionem rerum possit inducere? Carpenterius in Gallia, et Depraeus superiore saeculo pro vernaculis ita depugnaverunt, ut Porreus ille Volterii magister orationes etiam pro latinis opposuerit. Restitum paulisper est. Mox Volterius ipse, et Alambertius patrocinium linguae vernaculae renovarunt: ea res quot vernaculos titulos in Gallia peperit? Quid ni in Italia idem speras futurum? Sed illuc redeo unde discessi.

Dixi, non esse ita aptam italicam linguam huic generi litterarum. Respondent posse esse aptam: idcirco Florentinos homines ad eam laudem invitari, ut qui linguam suam maxime norunt, omnes ejusdem veneres, omnes suavitates conquirant, et in eis aptandis huic titulorum generi adlaborent. Et quidem fecerunt viri docti: sed vel taedio victi, vel novitatis veriti reprehensionem, vel animum despondentes, jamdiu ab hac cura et cogitatione destiterunt: ita paullatim res eo recidit, ut solae librorum vernaculorum dedicationes italice conscribantur, quam consuetudinem si emendare voluero, amens sim. Idem tentavit vir latine et tusce doctissimus Prosper Balbus Augustae Taurinorum; nonnullosque titulos italicos latinis subjecit, quos in viam novam transpadanam publicavit. Quid ultra quaerimus? Vir, cui ob multiplicem doctrinam successura res esset, modo

posset succedere; vir Dissertationis auctoris et civis, et amicus, adeo sibi placuit parum in hoc novo genere scribendi prae illo vetere, *ut ejus usui se non admodum repugnare professus sit*.

Itaque illud maneat immotum, titulos latine scribendos: quem autem ad morem, et quorum auctorum exemplo facias, non erit inutile disputare. In quo mihi perridicula aliquorum opinio videri solet omnes inscriptiones, nisi perbreves, improbantium. Quam ut defendant ad Gruterum, ad Muratorium, ad Maffejum provocant, in quibus vix aliud legas, quam mortui nomen, et munera, et aetatem, et ejus, qui titulum posuit, nomen; rarissime aliqua occurrit et morum, et rerum gestarum commendatiuncula. Sit profecto laudum parcitas in antiquis, quam tamen Plautiorum tituli Tiburtini, ut omittam ceteros, ita transgrediuntur, ut panegyrim potius mortui, quam titulum praeferant. Sed erant tum quaedam epitaphiorum supplementa, quae nulla nunc, aut perrara sunt, statuae nimirum, quarum tanta Romae copia extitit, uti populus marmoreus cum carneo conferendus numero videretur. His signis atria virorum principum plena erant, singulae autem bases commendationem habebant, quae a clientibus profectae, in patronos suos parcae laudum esse non possent. At enim nunc vel titulus sepulcri laudet inclusum necesse est: vel illaudatus omnino decedat: nam scripta, si qua supersunt in ejus laudem, minus vulgo quam marmor vivunt. Demus igitur consanguineis hanc veniam, ut quoniam usus has laudes, modo veras, tolerat, legant in suorum titulis commendationem, quam sperant diuturnam; neque hoc mortuis invideamus solatium, ut virtutes eorum, licet privatae, notae sint posteris, eosque ad imitationem propellant, atque excitent: quod nisi longiuscula inscriptione fieri non potest.

Verum et quaedam accusatio est, eaque justa, contra aliquos, qui dum volunt hoc scribendi genus ad morem pristinum revocare, errata prope consectantur, quibus titulos respersit an-

tiquitas, et *adque* pro *atque*, *quodquot* pro *quotquot*; *ipsus* pro *ipse*, *subra* pro *supra*, *scribsit* pro *scripsit*, *ollius* pro *illius*, *eidcirco* pro *idcirco*, *quoi* pro *cui*, *cotidie* pro *quotidie* dicunt, *coeraverunt* pro *curaverunt*. Et tunc sperant mirifice se esse locutos, quum quantum possunt dixerint *coeraverunt*. Est autem lectorum quaedam natio, simplex illa quidem, et minime mala, quae quum videat inscriptionem hisce, ut putat, ornamentis carere, eam ut balbam, et elinguem damnat; neque animadvertit, paedagogorum hoc perpetuum, et solemne esse, ut res quasdam minimas consectentur tanquam magnas; et interim vere magnas omnino negligant. Possem rerum harum neglectarum exempla conquirere in his, si Diis placet, antiquitatis amatoribus; verum ab instituto meo, neminem nominandi, non discedam. Illud addam, antiquos titulos multarum aetatum, multarum gentium esse: apud eas autem certas orthographiae leges viguisse, quae, ut sapienter habet Quintilianus, *inter ineptias evanuerunt* (1). Idem vere κριτικώτατος, vere in his magister, monet quam in scribendo unoquoque verbo regulam sequi debeamus. *Iudicium*, inquit, *suum grammaticus interponat his omnibus: nam hoc valere plurimum debet*. Atqui non unus grammaticus, sed complures, Dausquius, Manutius, Cellarius in primis, inscriptionibus omnibus probe visis, eum morem, qui placet hisce antiquitatis affectatoribus, damnaverunt, alium comuniorem adprobaverunt, ut jam non sit integrum eligere alterutrum, sicuti olim licuisset. Et ne sola valeat auctoritas, rationem quoque subdit Fabius rei accomodatissimam: *Ego, nisi quod consuetudo obtinuerit, sic scribendum quidque judico, quomodo sonat. Hic enim usus est litterarum, ut custodiant voces, et velut depositum reddant legentibus*. Quid ergo scribam *adque*, si, velis nolis, *atque* pronunciandum est?

Itaque tyronibus periculosam puto inscriptionum veterum lectionem sine delectu, donec discant quid imitandum in iis, quid ex iis repudiandum sit; tutiusque eosdem ad selectissi-

(1) Inst. Or. Lib. I. c. 7.

mas, quae in Morcellii V. Cl. libro continentur, in quo florem Augustaei et Trajanaei aevi retulit, amandarim. Hunc librum vere aureum cuidam in potestatem venisse audio, qui exemplaria duplo vendat, quam emerat; inde factum, ut dispendiosior et rarior, donec iterum imprimatur, evaserit. Et vero impressionem novam meretur liber in omni genere perfectus, ut malam inscriptionem, quod Garampius Card. lepide ajebat, ne si velis quidem, possis facere, si modo eum consulas. Sed tamen ex veteribus unis, aut ab uno, licet praecellentissimo ex recentioribus, exempla petere, angustum est, et fortasse periculosum. Nam si ex libro vulgatissimo, ut tyrones solent, plus aequo imitatus fueris, facile furti subibis invidiam, quemadmodum audio certos homines subiisse, qui invicem compilati Morcellii se insimularunt. Quare, ut furis evites notam, illud primum sit, ut vere imiteris aliena, non rapias; illud secundum, ut si plusculum imiteris, fontes alios habeas paratos ex quibus haurias. Sunt autem viri complures, iique luculentissimi, quos sextum decimum Christi seculum aut peperit, aut saltem aluit, qui cum in omni genere latinitatis, tum praesertim in titulis concinnandis magni et praeclari habentur. Horum labores Ciacconius tibi sufficiet, Gallettus, et qui iter per Italiam instituit, et praecipuas Italiae rimatus est urbes homo Germanus, ut ejusmodi inscriptiones eligeret, et publicaret. Ejusmodi auctores, non nisi Morcellio lecto, consulere auctor sim, ut ejusdem praeceptis institutus adolescens elegantiores discat a sequioribus internoscere. Sed certe plures in rem suam inveniet, quam si Gruteros omnes, Fabrettos, Muratorios, Donios evolvat: primum quia inter veteres homo quilibet satis videbatur in ejusmodi scriptione versatus; saeculo autem XVI. major quidam inter scriptores delectus habitus: deinde quia multorum ibi saeculorum, barbarorum etiam, occurret supellex; heic autem unius saeculi, ejusdemque latine eruditissimi titulos ex ipsa anni significatione possis eli-

gere: ad extremum quia non mera mortuorum nomina, neque solam antiquitatis imaginem, sed, ut in more hodie positum est, longiusculos titulos et saeculi, in quo vivis et scribis, expressam imaginem, atque formam poteris contemplari. Id autem magna est in utilitate ponendum, praesertim in sacris. Neque enim ex Bembo, aut Sadoleto, aut Rota disces, quod imperiti solent, qui dum aliquam conciliare volunt sacris inscriptionibus dignitatem, et, ut ipsi stolide loquuntur, a paedagogianarum numero eximere, sacras litteras suis commentationibus intermiscent, ut qui Mariam Theresiam Augustam laudare aggressus in funere ejus sollemni, titulum portae imposuit, cujus clausula fuit vulgatus ille ex Proverbiis versiculus: *et laudent eam in portis opera ejus*.

Et ne digitum, ut ajunt, ad fontem intendisse solum coarguar, non gravabor quos ipse ex seculi XVI. scriptoribus XL ab hinc annis titulos eorum aliquos elegi, meis cum lectoribus comunicare, ut sciant quos probem, et imitatione dignos ducam. Sunt autem ex variis Italiae urbibus, ex urbe Roma praesertim, in qua quia litteratissimi vixerunt, monumenta illustria reliquerunt doctrinae suae. Ideo per templa vetustiora inscriptiones leguntur, quae mihi incredibilem legenti pariebant voluptatem; ut quamvis in pictura oculos non omnino habeam ineruditos, tamen non magis adspectu picturae praestantis, quam lectione tituli excellentis, dum aedes sacras inviserem, delectarer.

I.

Romae in aede Conservatorum ad Statuam Leonis X.

OPTIMO · PRINC · LEONI · X · MED · P · M ·
OB · RESTITVTAM · INSTAVRATAMQVE · VRBEM
AVCTA · SACRA · BONASQVE · ARTES · ADSCITOS · PATRES · SVBLATVM
VECTIGAL · DATVMQVE · CONGIARIVM ·

II.

Romae fuit ante Pantheon.

LEO · X · P · M · PROVIDENTISS · PRINCEPS
VAS · ELEGANTISSIMVM · EX · LAPIDE · NVMIDICO
NE · POLLVTVM · NEGLIGENTIAE · SORDIBVS · OBSOLESCERET
IN · HVNC · MODVM · REPONI · EXORNARIQVE · IVSSIT
BARTHOLOMAEVS · VALLA)(AEDILES
RAYMVNDVS · CAPOFERREVS)(

III.

Romae fuit in veteri tumulo Clem. VII.

CLEMENTI · VII. · P · M .
CVIVS · INVICTA · VIRTVS · SOLA · CLEMENTIA · SVPERATA · EST
OB · AN · M · D · XXXIV · VI · KAL · OCTOBRES ·

IV.

Romae.

LEO · X · ET · CLEMENS · VII · MEDICES
FRATR · PATRVEL · PONTT · MAXX ·
FLAMINIAM · INTRA · VRBEM · TRIFARIAM
DIVISAM · ADHIBITIS · VICORVM · MAGISTRIS
DIREXERVNT · SECTIONES · DE · SVO · NOMINE
LEONIANAM · CLEMENTIASQ · APPELLARI
IVSSERVNT · ANNO · IVBILAEI ·

V.

Romae in Capitolio.

PAVLO · III · P · M ·
QVOD · EIVS · IVSSV · AVSPICIISQVE · ATQVE · AERE · CONLATO
VRBEM · SITV · AC · DIVERTICVLIS · VIARVM · DEFORMEM
ATQVE · IMPERVIAM
DISIECTIS · MALE · POSITIS · AEDIFICIIS · IN · MELIOREM · FORMAM
REDEGERINT
VIIS · AREISQVE · CVM · VETERIBVS · DIRECTIS · ET · AMPLIATIS
TVM · NOVIS · CONSTITVTIS · AVXERINT · ORNARINTQVE
LATINVS · IVVEN · MAMAECTVS · HIERONYMVS · MAPHEVS · CVR · VIAR ·
VRBE · INSTAVRATA
OFFICII · ET · MEMORIAE · ERGO
STATVAM · IN · CAPITOLIO · OPTIMO · PONTIF · P · P ·
AN · CHR · M · D · XLIII ·

VI.

Romae in templo Orphanorum.

PAVLO · III · FARNESIO · ROMANO · P · O · M ·
QVOD · PVEROS · AC · PVELLAS · PARENTIBVS · ORBATAS
DOMICILIIS · MVNIFICO · SVMPTV · FVNDATIS
AMPLISSIMISQVE · PRIVILEGIIS · COMMVNITIS · DONAVERIT
ARCHICONFRATERNITAS · ORPHANORVM · GRATI · ANIMI · M · P ·

VII.

Tolentini in Foro.

PAVLO · III · P · M ·
TERRESTRI · DEO
REIP · CHRISTIANAE · CONSERVATORI ·

VIII.

Perusiae in Arce.

PAVLVS · III · P · M.
TYRANNIDE · EIECTA
NOVO · CIVITATIS · STATV · CONSTITVTO
BONORVM · QVIETI · ET · IMPROBORVM · FRAENO
ARCEM · A · SOLO · EXCITATAM · MIRA · CELERITATE · MVNIVIT
PONT · SVI · AN · IX · SAL · XLVIII ·

IX.

Romae in tumulo.

PAVLO · IIII · CARRAFAE · P · M ·
ELOQVENTIA · DOCTRINA · SAPIENTIA · SINGVLARI
INNOCENTIA · LIBERALITATE · ANIMI · MAGNITVDINE · PRAESTANTI
SCELERVM · VINDICI · INTEGERRIMO
CATHOLICAE · FIDEI · ACERRIMO · PROPVGNATORI
PIVS · V · P · M ·
GRATI · ET · PII · ANIMI · M · P · OB · M · D · LIX ·

X.

Romae in hortis vaticanis.

PIVS · IV · MEDICES · MEDIOLANENSIS · P · M ·
QVO · COMMODIORES · HONESTIORESQVE
SIBI · SVCCESSORIBVSQVE · HORTOS · VATICANOS · REDDERET
COMPLVRES · AVLAS · CVBICVLA · ET · SCALAS · CIRCVM · SVPRAQ · HEMICYCLVM
PLERAQVE · A · FVNDAMENTIS · EXSTRVXIT
QVASDAM · IN · VETEREM · FORMAM · RESTITVIT · ATQ · EXORNAVIT
AN · SAL · M · D · LXII ·
PONT · SVI · AN · III · KAL · IAN · ABSOLVIT ·

XI.

Romae in porticu Vaticana: Pii IV. Res gestae.

I.

PACIS · AVCTOR · ET · CVSTOS
PARATA · SECVRITATE · RERVM · OMNIVM · COPIAM · ET · VBERTATEM
INTRODVXIT ·

II.

IVSTITIAM · COLVIT
CAVSSARVM · EXPLICATIONE · REVOCATA
IVDICIIS · EX · AEQVO · ET · BONO · CONSTITVTIS ·

III.

EGENTES · HOMINES
MOLESTA · ET · FALLACI · MENDICITATE · SVBLATA
CERTIS · LOCIS · DISTRIBVTOS · ALIT ·

IV.

PORTAM · ET · VIAM
PVBLICAE · COMMODITATI · APERVIT · ET · MVNIVIT ·

V.

VIAM · AVRELIAM
PENE · INVIAM · RESTITVEBAT · AQVAM · SALONIAM · DEDVCEBAT ·

XII.

Romae in tumulo.

PIVS · V · PONT · MAX ·
RELIGIONIS · AC · PVDICITIAE · VINDEX · RECTI · ET · IVSTI · ADSERTOR
MORVM · ET · DISCIPLINAE · RESTITVTOR
CHRISTIANAE · REI · DEFENSOR
SALVTARIBVS · EDITIS · LEGIBVS · GALLIA · CONSERVATA
PRINCIPIBVS · FOEDERE · IVNCTIS
PARTA · DE · TVRCIS · VICTORIA · INGENTIBVS · AVSIS · ET · FACTIS
PACIS · BELLIQVE · GLORIA ·
MAXIMVS
PIVS · FEL · OPT · PRINC ·

XIII.

Romae in Capitolio ad Statuam.

GREGORIO · XIII · P · M ·
OB · FARINAE · VECTIGAL · SVBLATVM
VRBEM · TEMPLIS · ET · OPERIBVS · MAGNIFICENTISS · EXORNATAM
HS · OCTOGIES · SINGVLARI · BENEFICENTIA · IN · EGENOS · DISTRIBVTVM
OB · SEMINARIA · EXTERARVM · NATIONVM · IN · VRBE
AC · TOTO · POENE · TERRARVM · ORBE
RELIGIONIS · PROPAGANDAE · CAVSA · INSTITVTA
OB · PATERNAM · IN · OMNES · GENTES · CHARITATEM
QVA · EX · VLTIMIS · NOVI · ORBIS · INCOLIS · IAPONIORVM · REGVM · LEGATOS
TRIENNI · NAVIGATIONE · AD · OBEDIENTIAM · SEDI · APOSTOLICAE
EXHIBENDAM
PRIMVM · VENIENTES · ROMAM
PRO · PONTIFICIA · DIGNITATE · ACCEPIT
S · P · Q · R ·

XIV.

Romae.

GREGORIVS · XIII · P · M ·
VT · SANCTVM · PASCHA
SVO · IN · PERPETVVM · TEMPORE · CELEBRETVR
RATIONEM · TEMPORVM · PERTVRBATAM · RESTITVIT
MODVMQVE · ADHIBVIT
QVO · FVTVRIS · SAECVLIS
IN · PRAESCRIPTAE · DEFINITIONIS · STATV
SINE · CONFVSIONE · PERSEVERET
ANNO · M · D · LXXXIII ·
PONT. · SVI · XI ·

* * *

XV.

Ibidem in Capitolio ad Statuam.

SYXTO · V · P · M ·
OB · QVIETEM · PVBLICAM
COMPRESSA · SICARIORVM · EXVLVMQVE · LICENTIA
RESTITVTAM
ANNONAE · INOPIAM · SVBLEVATAM
VRBEM · AEDIFICIIS · VIIS · AQVAEDVCTV
ILLVSTRATAM · S · P · Q · R ·

XVI.

Urbini fuerunt in aedibus Principis sub imaginibus Virorum illustrium jussu Federici Montfelini Ducis.

I.

PLATONI · ATHENIENSI
HVMANAE · DIVINAEQVE · PHILOSOPHIAE · ANTISTITI · CELEBERRIMO
FED · DICAVIT · EX · OBSERVANTIA ·

II.

M · TVLL · CICERONI
OB · DISCIPLINARVM · VARIETATEM · ELOQVENTIAEQVE · REGNVM ·

III.

HOMERO · SMYRNAEO
CVIVS · POESIN · OB · DIVINAM · DISCIPLINARVM · VARIETATEM
OMNIS · AETAS · ADMIRATA · EST
ASSEQVVTVS · NEMO · POST ·

IV.

D · AVGVSTINO
OB · SVBLIMEM · DOCTRINAM
COELESTIVMQVE · INDAGATIONEM · LVCVLENTISSIMAM
POSTERI · EDOCTI · FAC · CVR ·

V.

CL · PTOLEMAEO · ALEXANDRINO
OB · CERTAM · ASTRORVM · DIMENSIONEM
INDVCTASQ · ORBI · TERRARVM · LINEAS ·

VI.

L · ANNAEO · SENECAE · CORDVBENSI
CVIVS · PRAECEPTIS · ANIMVS · LIBERATVR · PERTVRBATIONIBVS
EXCOLITVRQVE · TRANQVILLITAS ·

VII.

P · VIRGILIO · MARONI
OB · ILLVSTRATA · NVMERIS · HEROICIS · ROMANORVM · INCVNABVLA
IMPERIIQVE · POESEOS · DIVINITATEM ·

VIII.

D · AMBROSIO
OB · SPRETOS · FASCES · CONSVLARES
SVSCEPTVMQVE · CHRISTIANVM · NOMEN
ET · ORNATAM · LATINI · SERMONIS · IVCVNDITATEM
FED · POS ·

XVII.

Romae in aede S. Mariae Rotundae. Opus Bembi.

D · O · M ·
RAPHAELI · SANCTIO · IO · F · VRBINATI
PICTORI · EMINENTISS · VETERVMQ · AEMVLO
CVIVS · SPIRANTES · PROPE · IMAGINES · SI · CONTEMPLERE
NATVRAE · ATQVE · ARTIS · FOEDVS · FACILE · INSPEXERIS
IVLII · II · ET · LEONIS · X · P · P · M · M ·
PICTVRAE · ET · ARCHITECTVRAE · OPERIBVS
GLORIAM · AVXIT
V · A · XXXII · INTEGRE · INTEGROS · QVO · DIE · NATVS · EST · EO
ESSE · DESIIT · VIII · ID · APR · M · D · XX ·

ILLE · HIC · EST · RAPHAEL · TIMVIT · QVO · SOSPITE · VINCI
RERVM · MAGNA · PARENS · ET · MORIENTE · MORI ·

XVIII.

Romae. Opus Bembi.

CHRISTOPHORO · LONGOLIO
ROMANAM · CIVITATEM · PROPTER · INSIGNEM · IN · STVDIIS · LITERARVM
PRAESTANTIAM · ADEPTO
SVMMO · INGENIO · INCREDIBILI · INDVSTRIA
OMNIBVS · BONIS · ARTIBVS · PRAEDITO · SVPRA · IVVENTAE · ANNOS
IN · QVA · EXTINCTVS · EST · MAGNO · CVM · ITALIAE · DOLORE
CVI · INGENTEM · SPEM · SVI · NOMINIS · EXCITAVERAT
PETRVS · BEMBVS · AMICO · ATQ · HOSPITI · P ·

XIX.

Romae in aede S. Laurentii in Damaso. Opus Sadoleti.

D · IMM · S ·
PIETATI · ET · MEMORIAE
IVLII · SADOLETI
SACERDOTIS · LAVRENTIANI · DE · COLLEGIO · CANONICORVM
GRAECIS · ET · LATINIS · LITERIS · SINGVLARITER · ERVDITI
OMNIBVS · OPTIMIS · ET · DISCIPLINIS · ET · MORIBVS · ITA · ORNATI
VT · EIVS · INGENIVM · COMITATEM · LIBERALITATEM
ET · ANTE · ANNOS · PRVDENTIAM
NVLLA · SATIS · AEQVARE · POSSIT · ADMIRATIO
IACOBVS · SADOLETVS
FRATRI · CONCORDISSIMO · ET · SPE · DE · EO · MAXIMA · ORBATVS
MVLTIS · CVM · LACRYMIS · POSVIT
V · ANN · XXVI ·

XX.

Bononiae. Opus Philippi Beroaldi, ut videtur, junioris.

PHILIPPO · BEROALDO · SENIORI · CIVI · BONON ·
VIRO · OMNIVM · QVOS · AETAS · SVA · TVLIT · ERVDITISSIMO
ATQVE · ELOQVENTISSIMO
HVMANIORES · LITERAS · PARMAE · LVTETIAE · ATQVE · IN · PATRIA
SVMMA · CVM · INGENII · LAVDE
ATQVE · AVDIENTIVM · ADMIRATIONE · PROFESSO
PHILIPPVS · ET · VINC · FILII · HAEREDES · EX · IPSIVS · TESTAM · P · P ·
VIX · AN · LI · MENS · VIII · OBIIT · AN · M · D · IIII ·

XXI.

Romae ad Andreae Vallensis.

IOANNI · CASAE · ARCHIEP · BENEVENTANO
CVIVS · SINGVLAREM · IN · OMNI · VIRTVTVM
AC · DISCIPLINARVM · GENERE · PRAESTANTIAM
AEMVLA · NEQVIDQVAM · POSTERITAS · ADMIRETVR
HORATIVS · ORICELLARIVS · AVVNCVLO · MERITO · POSVIT ·

XXII.

Florentiae ad S. Laurentii.

PAVLO · IOVIO · NOVOCOMENSI · EPISCOPO · NVCERINO
HISTORIARVM · SVI · TEMPORIS · SCRIPTORI
SEPVLCRVM · QVOD · SIBI · TESTAMENTO · DECREVERAT
POSTERI · EIVS · INTEGRA · FIDE · POSVERVNT
INDVLGENTIA · MAXX · DVCC · COSMI · ET · FRANCISCI · ETRVRIAE · DVCVM
M · D · LXXIV ·

XXIII.

Florentiae ad S. Crucis.

MICHAELI · ANGELO · BONAROTIO
E · VETVSTA · SIMONIORVM · FAMILIA
SCVLPTORI · PICTORI · ARCHITECTO · FAMA · OMNIBVS · NOTISSIMO
LEONARDVS · PATRVO · AMANTISSIMO · DEQVE · SE · OPTIME · MERITO
TRANSLATIS · ROMA · EIVS · OSSIBVS
ATQVE · IN · HOC · TEMPLO · MAIOR · SVORVM · SEPVLCRO · CONDITIS
COHORTANTE · SERENISSIMO · COSMO · MEDICES · M · HETR · D ·
P · C · ANNO · SAL · M · D · LXX · V · A · LXXXVIII · M · XI · D · XV ·

XXIV.

Neapoli.

BALDASSARI · RICHAE · FRATRI · CONCORDISSIMO
GASPAR · NATV · MAIOR · SVPERSTES
COMMVNE · MARMOR · P ·
VT · QVOS · VITA · CONIVNCTISSIMOS · TENVIT · MORS
INDIVISOS · CVSTODIRET · ANNO · S · M · D · XVIII ·

XXV.

Ibidem.

ARALDO · DE · MONTIBVS
CVI · NVNQVAM · VERBVM · EXCIDIT · QVO · QVISQVAM · POSSET · OFFENDI
POMPEIVS · DE · MONTIBVS
PATRVELI · OPTIMO · ET · HOMINI · RARISSIMO
MEMORIAE · CAVSA · A · A · P · VIRGINEO · M · D · XXVII ·

XXVI.

Ibidem.

TIBI · DEVS · OPTIME · MAXIME
ARAM · HANC · DEDICAT · IOANNES · IOVIANVS
NEC · TECVM · PACISCITVR
VT · SIBI · POSTERISQVE · SVIS · BENEFAXIS
QVVM · IPSE · VOLENS · LIBENSQVE · GRATVITO · BENEFACIAS · CVNCTIS
SED · QVIA · TIBI · AB · OMNIBVS · DEBEANTVR · OMNIA ·

XXVII.

Ibidem. Bernardino Rota Auctore.

BERNARDINVS · ROTA · MVSIS · HORTOS · DEDIC ·
RATVS · EAS · HILARI · HVIVSCE · COELI · POSITIONE · ALLICERE
ATQVE · ITA · FORTASSIS · AMICAS · FORE · M · D · LV ·

XXVIII.

Ibidem.

ALPHONSVS · FERDINANDI · REGIS · F · ARRAGONIVS · DVX · CALABRIAE
GENIO · DOMVM · HANC · CVM · FONTE · ET · BALNEO · DICAVIT ·
HIPPODROMVM · CONSTITVIT
GESTATIONES · HORTIS · ADIECIT
QVAS · MYRTIS · CITRIORVMQVE · NEMORIBVS · EXORNATAS
SALVTI · SOSPITAE · ATQVE · VOLVPTATI · PERPETVAE · CONSECR ·

XXIX.

Florentiae. In Porta.

CAROLVS · V · CAES · AVG ·
QVVM · INSIGNI · OMNIVM · CHRISTIANORVM · BENEFICIO
IMMANEM · ARCHIPIRATAM · REGNO · TVNETANO · PEPVLISSET · FVGASSETQ ·
SICVLO · NEAPOLITANO · SVIS · REGNIS · CONSTITVTIS
ROMA · PROFECTVS · FLORENTIAM
HANC · PORTAM · CVM · MAGNA · POMPA · INGRESSVS
POPVLO · CVNCTO · PRAE · LAETITIA · GESTIENTE
AB · ALEXANDRO · MEDICES · CIVITATIS · DVCE
CVI · MARGARITAM · F · DESPONDERAT
ILLVSTRI · APPARATV · REGALIQVE · HOSPITIO
MEDICEAS · IN · AEDES · ACCEPTVS · EST · A · D · M · D · XXXV ·
ID · MAII ·

XXX.

Venetiis.

PETRI · BEMBI · CARD · IMAGINEM
HIERONYMVS · QVIRINVS · ISMERII · F · IN · PVBLICO · PONENDAM · CVRAVIT
VT · CVIVS · INGENII · MONVMENTA · AETERNA · SINT
EIVS · CORPORIS · QVOQVE · MEMORIA · NE · A · POSTERIS · DESIDERETVR
V · AN · LXXVI · M · VII · D · XXIX · OB · XV · KAL · FEBR ·
AN · M · D · XLVII ·

XXXI.

Ferrariae. Auctore Cynthio Giraldo.

SEBASTIANO · CLARIGNANO
ACERRIMI · INGENII · VIRO
ET · IN · SCENA
SIVE · RISVS · VRBANOS · MOVERET
SEV · TRAGICO · FLETV · PVLPITA · QVATERET
ADMIRANDO
CYNTHIVS · IO · BAPT · GYRALDVS · AMICVS
AMICO · OPT · AC · B · M · P · V · A · LXIV · M · VIII ·

XXXII.

Genuae in Curia.

ANDREAE · DORIAE
QVOD · REMP · DIVTIVS · OPPRESSAM
IN · PRISTINAM · LIBERTATEM · VINDICAVERIT
PATRI · PROINDE · PATRIAE · APPELLATO
SENATVS · GENVENSIS · IMMORTALIS · MEMOR · BENEFICII · VIVENTI · P ·

XXXIII.

Patavii.

FONTI · NOMEN · INEST · HOSPES · VENERARE · LIQVOREM
VNDE · BIBENS · CECINIT · DIGNA · PETRARCHA · DEIS ·

XXXIV.

Neapoli in Vicaria.

CAROLO · V · CAESARE · AVG · INVICTISSIMO · IMPER ·
PETRVS · TOLEDVS · MARCHIO · VILLAE · FRANCHAE
HVIVS · REGNI · PROREX · IVRIS · VINDEX · SANCTISSIMVS
POST · FVGATOS · TVRCAS
ARCEM · IN · CVRIAM · REDACTAM · IVSTITIAE · DEDICAVIT
CONSILIAQ · OMNIA · HOC · IN · LOCO
CVM · MAGNO · TOTIVS · REGNI · COMMODO
CONSTITVIT · ANNO · A · P · V . M · D · XL ·

XXXV.

CAROLO · CELSO · IO · F ·
OPTIMAE · SPEI · SVMMAEQ · FESTIVITATIS · AC · SVAVITATIS · PVERO
ATALANTA · CORVARIA · FIL · DVLCISSIMO · MVLTIS · CVM · LACRYMIS · P ·
VIX · ANN · VII · DIES · XV · OBIIT · AVGVST · M · D · LXV ·

XXXVI.

IO · BAPTISTAE · FLORENTIOLO
PVERORVM · FLOSCVLO

NE · DVLCES · FERRES · FRVCTVS · MELLITE · IOANNES
DECVSSIT · FLORES · MORS · INIMICA · TVOS

VIXIT . AN · VI · OB · X · KAL · IVLII · M · D · LXXXIII ·
SIMON · ET · LVD · FLORENTINI · CIVES · PARENTES · MAESTISSIMI
AMORIBVS · ET DELITIIS · SVIS · P ·

LIBER PRIMUS

PRO SANCTIS COELITIBUS

CAPUT I.

AEDES SACRAE ET SACELLA RUSTICA

I.

Marmor ad Aedem balnearum Venionensium in dioecesi Montis Alcini.

THERMIS · AGRI · VENIONENSIS
EX · INDVLGENTIA
PETRI · LEOPOLDI · AVSTRII · M · D · E ·
CHISIAE · GENTI · PERMISSIS
ALEXANDER · CHISIVS
MARCHIO · SANCTI · QVIRICI
QVO · AEGROTIS
INTER · VALETVDINIS · PROCVRATIONEM
SACRORVM · PROCVRANDORVM
COMMODITAS · NE · DEESSET
AEDEM · A · SOLO · EXCITAVIT
ANNO · D · M · DCC · LXXXI ·

II.

Marmor ad Sacellum villae Scandicci *in agro Florentino.*

SACELLVM · CVM · ARA
IN · HONOREM · S · CAIETANI · THIENAEI
PATRIS · PROVIDENTISSIMI
AB · CAIETANO · FRANC · F · TANIO · FVNDATVM
QVOD · VILLA · COEMPTA
IN · LVCAE · TORNAQVINCII · EQV · IVRA · CONCESSERAT
ALDOBRANDVS · MEDICES · TORNAQVINCIVS · MARCH · EQVES
LVCAE · HERES · EX · TESTAMENTO
MELIOREM · IN · FACIEM · REFICIENDVM · ATQ · ORNANDVM
CVRAVIT · AN · M · DCC · LXXXXII ·

III.

Marmor in agro Bassanensi ad aedem S. Crucis.

AEDES
QVAE · AMOTIS · FRANCISCANIS
IN · VICI · S · CRVCIS · POTESTATEM · DEVENERAT
PERMISSV · SENATVS · ET · ANTISTITIS · AVCTORITATE
IVSTAE · PAROECIAE · HONORE · AVCTA · EST
OPE · ANDREAE · MAVROCENI · V · C ·
PATRONI · VICANORVM
ANNO · M · DCC · XCIIII ·

IV.

Marmor ad Silvestri Papae in pago vulgo Renacci *in Agro Fl.*

AD · TVENDAM · PAGI · SVI · RELIGIONEM
ALEXANDER · RINVCCINIVS · MARCHIO
AEDE · SILVESTRI · S · PONT · MAX·
LOCI · PATRONI
IN · MELIOREM · FORMAM · REFECTA
TVRRIM · AB · INCHOATO · EIVSQ · AERA · CAMPANA · $\overline{\text{IV}}$·
DE · SVA · PEC · ADDIDIT · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{III}}$ ·
DEDIC · KALENDIS · SEXTILIBVS ·

V.

In nolis ejusdem turris, quae singulae singulis usibus destinantur.

I.

AD · HVIVS · SONITVM · AERIS · EXCITA · IESV · COR
POPVLI · VT · AD · SACRA · TVA · PIE · CASTE · ADEAT ·

II.

HOC · TINTINNABVLO · ADMONITA · IESV · PLEBS · TVA
FIDEM · CVIVS · SYMBOLVM · RECITAT · FIRMIVS · TENEAT ·

III.

PER · HVIVS · TINNITVM · PROHIBE · IESV · OMNES · AERIS
INTEMPERIAS · VT · AEDES · TVTAE · TVTA · ARVA · SIENT ·

IV.

HOC · AERE · PVLSATO · SIQVEM · TIBI · IESV · MORIENTEM
COMMENDAMVS · ADSIS · MISERO · EIQVE · SEDEM · SVPERVM · DA ·

VI.

Marmor ad Aedem Vici Veteris in Agro Flor. vulgo Granajolo.

MARCH · AEMILIVS · PVCCIVS · O · S · S · BAIVLIVVS
AEDEM · QVAM · MAIORES · SVI
VICANIS · VICI · VETERIS · AD · CVRIALIA · SACRA
DEDERANT · ADTRIBVERANT
VETVSTATE · COLLABENTEM · ET · CONDITIONE · CVRIAE · EXSOLVTAM
PECVNIA · SVA · REDEMIT · RESTAVRAVITQVE
ATQ · OMNI · ORNATV · EXCOLVIT
ANNO · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{D}}$ · $\overline{\text{CCC}}$ · $\overline{\text{IV}}$ ·

VII.

Marmor ibidem ad aram maximam.

HONORI · PAVLLI · III · P · M ·
QVOD · NON · SEPTEMBRIBVS · AN · M · D . XLII ·
IN · PVCCIANO · PROXIMO · PER · NOCTEM · HOSPITATVS
ET · HANC · AEDEM · VT · SACRIFICIO · INTERESSET
POSTRIDIE · INGRESSVS
EIDEM · PRIVILEGIVM · PLENAE · INDVLGENTIAE
EX · FORMA · RR · PONTIFICVM · IRROGAVERIT ·

VIII.

Marmor ibidem ad aram eandem.

D · O · M ·
HAEC · AEDES · DEDICATA · CONSECRATAQ · EST
SVB · TITVLO · S · MARIAE · V ·
TITVLVSQ · S · MATTHAEI · APOST · ADDITVS
OB · CVRIAM · MATTHAEIANAM · MARIANAE · ADIECTAM
CIRCITER · ANNVM · M · D · XC ·
EIVSQ · DEDICATIONI · QVOTANNIS · RECOLENDAE
DIES · QVI · EST · POSTR · NON · QVINT · CONSTITVTVS · EST

DESCR · EX · TABVLARIO · ARCHIEP · FLORENTINI ·

IX.

Marmor ad Sacellum suburbanum Radicunduli: in dioecesi Volaterrana.

DEO · IMMORTALI · SACRVM
EDVARDVS · BERLINGHERIVS · PATRIC · SENENSIS
SACELLO · VETERI · PROFANATO · NOVVM · ELEGANTIVSQ · SVBSTITVIT
TITVLO · ALMAE · VIRGINIS · CONSERVATO
PATRONISQVE · ADDITIS
S · EDVARDO · REGE · M · QVOD · EX · EO · SIBI · NOMEN · EST · INDITVM
ET · S · HIERONYMO · PRESBYTERO · QVOD · ITEM · VOLVIT
NE · CVLTVS · VIRI · SS · RADICVNDVLENSIBVS · INTERCIDERET
SODALITIO · EIVS · INTRA · OPPIDVM · DELETO · ARA · EVERSA · TABVLA · DIVENDITA
QVAM · ETIAM · PECVNIA · SVA · REDEMPTAM · HEIC · DEDICAVIT
ANNO · M · DCCC · IV ·

X.

Marmor Banzenae in pago Bibienate dioec. Aretinae.

AEDEM · ALMAE · VIRGINI · ET · S · DONATO · EP · M ·
BANZENAE · EXCITATAM · ET · VETVSTATE · COLLABENTEM
ANTON · PIERAZOLIVS · BIBIENAS · RECTOR
REFECIT · AMPLIAVIT · ADORNAVITQVE
EX · PECVNIA · COLLATITIA
QVAM · EPISC · ARRETINVS · ET · POPVLVS · CVRIAE
ET · RECTOR · ET · IOSEPHVS · PIERAZOLIVS · PRESB · FRATER
FACIVNDO · OPERI · CONTVLERVNT
AN · M · DCCC · IV ·

XI.

Inscripta ad aedem Sanctimonialium M. Plasani in agro Senensi.

ANNO · M · D · LXXXIIII ·
GREGORIVS · XIII · P · M ·
AEDI · MONTIS · PLASANI · QVAM · TITVLO
ABVNDII · ET · ABVNDANTII · M · M · ANTIQVITAS · DEDICAVERAT
RELIQVIAS · EORVM · ROMA · DONVM · MISIT
DIEMQVE · IDVVM · IVNIARVM · QVO · SOLLEMNI · SVPPLICATIONE
IN · HANC · AEDEM · EX · VRBE · SENA · SVNT · ILLATAE
FESTO · ANNIVERSARIO · STATO · QVOD · HODIEQVE · AGITVR
FECIT · INSIGNEM
DIEM · VERO · XI · KAL · OCT · QVO · IIDEM · MARTYRIVM · FECERVNT
EO · PRIVILEGIO · AVCTVM · QVOTANNIS · VOLVIT
VT QVI · RITE · INTRA · HANC · AEDEM · SVPPLICAVERINT
IISDEM · LEGALES · ADMISSORVM · POENAE · RELAXATAE · AD · PLENVM · SINT
HARVM · RERVM · ERGO
COLLEGIVM · VIRGINVM · ORD · S · BENED · QVOD · AEDI · ADIACET
PONTIFICEM · INDVLGENTISS · ICONICVM · PINGI · CVM · ELLOGIO · CVRAVIT
IDEMQVE · PICTVRAM · ATQ · SCRIPTVRAM · POST · ANNOS · CCXXI ·
VETVSTATE · DEFORMATAS · RENOVAVIT · RESTITVITQVE ·

XII.

Marmor in dioecesi Florentina ad pagum Poggiale.

D · O · M ·
IN · HONOREM · ALMAE · VIRGINIS · MARIAE
SACELLVM · HOC
OPERIBVS · AMPLIATIS · RESTAVRAVIT · ADORNAVITQ ·
ELISABETHA · PITTA · GADDIA
VIDVA · SENATORIS · CAESARIS · GORII
ANNO · M · DCCC · V ·

XIII.

Florentiae. Marmor ad aedem PP. Servorum. Edita simul cum Brevi Romae apud Lazarinum an. 1806.

PIO · VII · PONT · MAX ·
QVI · AEDEM · B · M · V · AB · ANGELO · SALVTATAE
PRO · PONTIFICIA · MAIESTATE · INTROGRESSVS
VII · ID · MAIAS · AN · M · DCCC · V ·
SACRIS · IBIDEM · FACTIS · DEQ · IIS · MEMORABILI · EXEMPLO
M · ALOISIAE · TVSCORVM · REGINAE · PIENTISSIMAE
LIBAMENTO · DATO
ET · COLLEGIO · PP · SERVORVM · DEIPARAE · AD · PEDIS · OSCVLVM
PERAMANTER · ADMISSO
HAEC · EI · ROGATV · ETIAM · PRINCIPIS · CLEMENTISSIMAE
PRIVILEGIA · IN · PERPETVVM · IRROGAVIT
VTI · HAEC · AEDES · BASILICAE · NOMINE · ET · IVRE · AVGEATVR
VTIQVE · POENITENTIARII · IV · AB · VRBANO · VIII · P · M · INDVLTI
IIS · LEGIBVS · QVAE · LAVRETANO · TEMPLO · DICTAE · SVNT
AMPLIATIS · ETIAM · FACVLTATIBVS · ADPROBATIONE · SVA · IN · EA · PERSTENT
DIE · VERO · VII · IDVS · MAIAS
VT · SI · QVI · INTRA · EIVS · SEPTA · RITE · ADORAVERINT
IIS · POENAE · ADMISSORVM · STATAE · OMNES · RELAXENTVR
PARENTI · PVBLICO · OPTIMO · INDVLGENTISSIMO
COLLEGIVM · SVPRA · SCR · TABVLAM · MARMOREAM · INSCVLPTAM
OB · PRAECLARA · ATQVE · IMMORTALIA · ERGA · HVNC · LOCVM
MERITA ·

XIV.

Marmor Senis ad Sanctorum Innocentium.

EX · AVCTORITATE
M · ANTONII · ZONDADARII · CARD · ARCH · SENENS ·
SODALITIVM · SS · EMIDII · E · M · ET · ANDREAE · AVELLINI · C ·
QVOD · IN · AEDE · S · GEORGII · M · INSTITVTVM · FVERAT
IN · AEDEM · SS · INNOCENTIVM · TRANSLATVM
ET · SODALITATI · CARITATIS · QVAE · AD · S · MAVRITII · M · EXTAT
COPVLATVM · EST · AN · M · DCCC · VI ·
ANNVENTE · SVB · CERTIS · CONDITIONIBVS
SANCTE · DE · SANCTIS · LOCI · HERO ·

XV.

Marmor ad S. Mariam in Monte in Agro Pisano.

B · DIANAE · VIRGINI · CIVI · ET · PATRONAE
CVIVS · CORPVS · ANNIS · POST · EXCESSVM · EIVS · CC ·
INTEGRVM · INCOLVME · REPERTVM · EST
AD · S · DALMATII · TVRRIM · QVAE · HINC · ABERAT · PASSVS · III ·
NE · TVRRI · DELETA · MEMORIA · LOCI · ET · REVERENTIA · DELERETVR
ALOISIVS · BRILLIVS
EFFIGIEM · CVM · OMNI · ORNATV · ET · MARMOR · INSCRIPTVM
DE · SVO · DEDICAVIT · AN · M · DCCC · VI ·

XVI.

Marmor Senis in aede S. Dominici.

HANC · AEDEM · AN · M · DCC · XCVIII · LABEFACTATAM
QVVM · VII · KAL · IVNIAS · TERRA · MOVIT
BENEDICTINI · CASSINATES · TVRRI · CONFIRMATA
SACELLO · S · CATHARINAE · V · THOLO · ET · LVMINIBVS · AVCTO
TECTO · SOLIDATO · PAVIMENTO · STRATO
ARA · MAXIMA · RENOVATA
ET · ASCENSV · IN · EAM · GRADIBVS · MARMOREIS · DISPOSITO
ARIS · CETERIS · EX · COLLATIONE · PATRONORVM · ET · SVA
REFECTIS · ADORNATISQVE
IN · MELIOREM · FORMAM · CVLTV · SPLENDIDIORE · RESTITVERVNT
EORVNDEM · CVRA · COENOBII · DAMNA
QVOD · VITIVM · VBIQVE · FECERAT · REPARATA
VALETVDINARIVM · BIBLIOTHECA · TRICLINIVM · CONCLAVIA · OMNIA
PARTIM · INSTAVRATA · PARTIM · REDINTEGRATA SVNT
NOVVS · QVOQVE · IN · AEDES · INTROITVS · ET · AMBVLATIO · PEDVM · CLXXVII ·
CONSTITVTA
OPVS · CONSVMMATVM · AN · M · DCCC · VI ·

XVII.

Marmor in agro Florentino ad S. M. Ambrosianae.

SACELLVM
MARIAE · ALMAE · DEI · GENITRICI
A · CHRISTINA · LOTHARINGIA · M · D · E · DICATVM
ET · VETVSTATE · CORRVPTVM
M · ALOISIA · REG · CVRATRIX · REGNI · ETRVRIAE
NE · HONORES · DEIPARAE · QVOS · HEIC · HABEBAT · VICINITAS
INTERCIDERENT
SQVALORE · DETERSO · IN · ELEGANTIOREM · FACIEM · RESTITVIT
ANNO · M · DCCC · VI ·

XVI. v. 4. Luminibus *Finestre*.

PRO SANCTIS COELITIBUS

CAPUT II.

ARAE ET EARUM JURA.

I.

Marmor in aede SS. Trinitatis: ante aram NN. Salimbeniorum.

BARTHOLOMAEVS · ET · SALIMBENES · LEONARDI · FF · BARTHOLINII
EX · EA · STIRPE · SALIMBENIORVM
QVAE · CIRC · AN · M · CC · L · INTER · MOTVS · CIVILIVM · FACTIONVM · SENIS · EIECTA
IN · FIDEM · FLORENTINORVM · ATQ · IN · CIVITATEM · RECEPTA · EST
PATRIA · VETERE · PER · SALIMBENEM · PROAVVM · AMISSA
ET · NOVA · PER · BARTHOLINVM · AVVM · COMPARATA
TEMPLVM · CONLATA · PECVNIA · AMPLIANDVM
ET · SACELLVM · GENTILITIVM
CVM · ARA · ET · MONVMENTO · FACIVNDVM · CVRAVERVNT
CVI · SACELLO · PRAEDIVM · ATTRIBVERVNT
TVTELAE · ET · SACRORVM · NOMINE · AN · M · CCCC · VII ·
FILII · MARCH · ZENOBII · BARTHOLINII · QVI · ET · SALIMBENIVS
MARCHIO · ALAMANNVS · CVBICVLARIVS · FRANC · I · ET · IOS · II · AVGG ·
ET · P · LEOPOLDI · M · D · E ·
CVM · MARCH · PETRO · ET · FRANC · ET · IOAN · FRATRIBVS
LOCVM · MARMORE · ADORNAVERVNT · ET · SCRIPTVRAM · ADDIDERVNT
AD · MEMORIAM · ORIGINIS · SVAE · IVRISQVE · PATRONATVS
POSTERITATI · CONSERVANDAM · AN · M · DCC · LXXXIII ·

II.

Marmor ad S. Crucis in ara NN. Ricasulorum.

LEOPOLDVS · RICASOLVS · ZANCHINIVS · EQV · STEPH ·
SACELLI · GENTIS · ZANCHINIAE
CVM : ARA · ET · SEPVLCHRO
EX · PARTE · DIMIDIA · HERES · INSTITVTVS
QVVM · CONCESSV · IO · ZAMBECCARII · ZANCHINII · COMITIS
COHEREDIS · SVI · PARTEM · EIVS · IVRIS · ALTERAM · NACTVS · ESSET
TVITIONE · LOCI · IN · SE · VNVM · RECEPTA
ARAM · CVM · OMNI · ORNATV · SVO · RENOVANDAM
ET · PICTVRAE · SQVALOREM · VETVSTATIS · DETERGENDVM · CVRAVIT
ANNO · M · DCC · LXXXXI ·

I. v. 13. Cubicularius *Ciamberlano*.

III.

Marmor ante Aram Max. S. Mariae Novellae.

DEO · VNI · TRINO
IN · HONOREM · DEIPARAE · CAELO · RECEPTAE
COLLEGIVM · PP · PRAEDICATORVM · AD · M · NOVELLAE
ARAM · MAX · A · SOLO · RENOVATAM · ORNATVQ · EX · LIGNEO · PRO · AMPLITVDINE
LOCI · MARMOREO · EXCVLTAM · DEDICAVIT · KAL · IVN · A · M · DCCC · IV ·
PRAESIDE · COLLEGII · P · IOS · AVGVSTINO · RICCIO · FLOR · S · THEOL · MAG ·

IV.

Marmor ibidem.

EX · MANVPRETIIS · OFFICINAE · COLLEGII · PIGMENTARIAE
PRAEFECTO · EIVSDEM · F · THOMA · VALORIO · FLORENTINO
PER · QVEM · OPERIBVS · OFFICINAE · FAMA · COMMERCIVMQ ·
PER · EVROPAM · LATISSIME · PROPAGATVM
ET · PECVNIA · EX · VENDITIONIBVS · PARTA
HVIC · AEDI · TVENDAE · ATQ · ORNANDAE · INTEGRE · INTEGRA · INSVMPTA · EST ·

V.

Marmor ib. collocandum, si lis secundum Medices judicabitur; si secundum PP. Dominicanos, evulgandum nihilominus, ut dignitati familiae consulatur.

XIII · KAL · SEPTEMBRES · ANNO · M · DCCC · III ·
FRANCISCVS · ALDEBRANDVS · FRANC · IOSEPHI · F · MEDICES · EQVES · ORD ·
STEPHANIANI · ET · PETRVS · FRATER · V · V · C · C · MARCHIONES · HEREDES
GENTIS · TORNAQVINCIAE · EOQ · NOMINE · ARAE · TEMPLI · MAXIMAE · ET
ABSIDIS · QVAE · PROXIME · EAM · EST · PATRONI · COLLEGIO · P · P ·
PRAEDICATORVM · AD · MARIAE · NOVELLAE · PETENTI · ET · ROGANTI
PRONA · VOLVNTATE · PERMISERVNT · VTI · AD · DIGNITATEM · TEMPLI
AMPLIFICANDAM · ARA · VETERE · CVM · ORNATV · EIVS · DEIECTA · NOVAM
QVO · LOCO · QVA · FORMA · QVO · ORNAMENTO · EI · VIDEBITVR · IMPENSA
COLLEGII · IPSIVS · EXCITARE · POSSET · SVB · EA · CONDITIONE · VTI · PACIS
CONCORDIAEQVE · CAVSSA · ITERVM · ARAE · ABSIDIQVE · LEX · DICERETVR
IN · QVAM · ET · PATRONI · ET · COLLEGIVM · CORROGATIS · PP · SENTENTIIS
CONSENSISSENT · EAQ · IN · TABVLA · MARMOREA · INSCRIPTA · ET · PROPOSITA
PROPE · ARAM · FORET · AD · MEMORIAM · PACTI · CONVENTI · SEMPITERNAM
LEX · COMPOSITA · ADPROBATA · EST · IN · HAEC · VERBA · VTI · FRANCISCVS
ALDEBRANDVS · MEDICES · TORNAQVINCIVS · EQ · ST · ET · PETRVS · FRATER
V · V · C · C · MARCHIONES · HEREDES · POSTERIQ · EORVM · NOVAE · ARAE
PATRONATVM · EO · IVRE · TENEANT · QVO · GENS · TORNAQVINCIA
PATRONATVM · VETERIS · TENVISSET · NEQ · DE · EIVS · FORMA · COLLEGIO
LICEAT · QVIDQVAM · NOVARE · NISI · EX · PATRONORVM · AVCTORITATE

IDEMQ · IN · ABSIDEM · S · S · IVS · EORVM · ESTO · QVVMQVE · TABVLA QVAE · AB · ORIGINE · SVPRA · ARAM · FVIT · OBSOLETIOR · ATQVE ANGVSTIOR · QVAM · NOVA · MOLITIO · POSTVLAT · VISA · SIT · EANDEM PATRONI · AD · SE · RECIPIANT · IVREQVE · MANCIPI · HABEANT · CVM HAC · EXCEPTIONE · DVMTAXAT · VTI · PICTVRAM · AMPLIOREM · ET · LOCO OPPORTVNIOREM · PER · ALOISIVM · SABATELLIVM · LAVD · ARTIF · FACIEND · CVRENT · EAMQVE · CORONA · LIGNEA · INAVRATA · DE SVO CIRCVMDATAM · ARAE · SVPERPONANT · TVTELAMQVE · EIVS · ITEMQ · PICTVRAE · QVAE · ABSIDIS · PARIETIBVS · ILLITA · EST · IPSI · HEREDES POSTERIQ · EORVM · IN · PERPETVVM · HABEANT · NEQ · EAS · RENOVANDI POTIENDIVE · COLLEGIO · POTESTAS · SIET · QVVMQ · GENS · TORNAQVINCIA CVM · GENTE · MEDICEA · VNAM · IN · DOMVM · COALVERINT · INSIGNIA VTRIVSQVE · CLYPEO · VNO · CONIVNCTA · IN · ABSIDE · VBI · NVNC TORNAQVINCIORVM · DVMTAXAT · INSIGNIA · SVNT · PROPONANTVR EX · CANDIDO · MARMORE · IDQVE · OPVS · PATRONI · SVMPTV · SVO FACIENDVM · LOCENT · IIDEMQVE · TVEANTVR · CETERORVM · QVAE COLLEGIVM · INTRA · HVIVS · PATRONATVS · TERMINOS · DE · PECVNIA SVA · FECIT · FECERIT · IVS · APVD · COLLEGIVM · IPSVM · ET · TVTELA MANEAT ·

VI.

Ad aram B. Mariae Bagnesiae in basi urnae.

B · MARIAE · BAGNESIAE · VIRG · ORD · III · S · D ·
M · ALOISIA · R · E · CONDITORIVM · ARGENTEVM · D · D ·
OB · SINGVLARE · IN · PATRONAM · CAELESTEM · NOVAM
STVDIVM · SVVM · ET · RELIGIONEM · AN · M · DCCC · V ·

VII.

Marmor ad aedem Canonicorum Podibonitii in Dioecesi Collensi.

S · LVCESIO · ORDINIS · MINORVM · TERTII
QVEM · S · FRANCISCVS · TERTIANORVM · SVORVM · PRIMVM · LEGIT
ORDO · ET · POPVLVS · PODIBONITIENSIS
AEDIFICIIS · OPPIDI · PROPE · CVNCTIS
EX · FREQVENTI · TERRAE · MOTV · AVT · PRORVTIS · AVT · QVASSATIS
DVM · AEDEM · MAXIMAM · RESTITVIT
HANC · ARAM · CIVI · ET · PATRONO · SANCTISSIMO · DEDICAT
VTI · PATRIAE · MISERITVS
TALES · AB · EA · AERVMNAS · PROHIBERE · IN · POSTERVM · VELIT
AN · M · D · CCC · V ·

VIII.

Marmor Pientiae in aede S. Bartholomaei Apost.

ARAM · QVOTIDIANO · PRIVILEGIO · INSIGNEM
EX · FORMA · PONTIFICVM · MAXIMORVM
FRANCISCVS · ANT · F · SCARSELLIVS
CVRIO
VETVSTATE · OBSOLETAM · P · S · REFECIT
AN · M · DCCC · V ·

C A P U T III.

I M A G I N E S S A C R A E.

I.

Fuit Romae in S. I. Tyrocinio characteribus sub imaginem S. Aloisii (1).

EX · HAC · PICTVRA · EXSTARE · S · ALOISIVS · GONZAGA · VISVS · EST NICOLAO · CAELESTINIO · SOC · IESV · TYRONI · CONCLAMATO · IAM · ET PROPE · AGENTI · ANIMAM · ATQ · AD · EIVS · LECTVLVM · EVOLARE QVEM · DIVTINA · ALLOCVTIONE · SOLATVS · HORTATVSQVE · VT RELIGIONEM · SANCTISSIMI · IESV · CORDIS · VTPOTE · CAELITIBVS IVCVNDISSIMAM · ADAMARET · PROPAGARETQVE · REPENTE · MORBO · ET MORBI · RELIQVIIS · EXSOLVIT · VT · QVI · PRIDIE · VIX · LOCVM · MVTARE IN · GRABATO · POSSET · MILLIA · PASSVVM · COMPLVRA · POSTRIDIE CONFECERIT · TESTATISSIMI · PERQ · EVROPAM · VVLGATISSIMI · PRODIGII DIES · FVIT · IV · ID · FEBR · ANNO · M · DCC · LXV ·

(1) Requisivi Romae proximo anno ut qualem scripseram titulum, eundem his typis repraesentarem. Responsum fuit, post multiplices ejus domus heros eam imaginem et titulum disperiisse. At vivat res quoquo modo perscripta: quanquam multa de eo miraculo prodita sunt in libello: *Prodigiosa risanazione seguita in Roma l'anno* 1765. cui decretum adjunctum est Jordanii Archiepiscopi Vices in eo Pontificias gerentis de legitima prodigii probatione: vivat inquam res memorabilis per nos qui Caelestinum in Rhetoricis habuimus auditorem, deque eo visu saepe nobiscum, nec sine lacrymis loquebatur. Credidimus nulla inducti superstitione anili, a qua absumus quam longissime; sed rei evidentia convicti. Neque enim morbo tantum, sed et morbi reliquiis est exsolutus repente; debilitate nimirum, quam induxerat complurium dierum inedia, et sanguinis emissio terdecies repetita intra mensem: adde quod emplastra cum sinapi erosionem fecerant pedum nonnisi longo tempore medicabilem: hunc ergo repente consurgere, postridie egredi, hyemis intemperias perferre, plura passuum millia jejunum ambulare citato gressu, ac deinde tyronum more orare, jejunare, vivere; haec naturaliter fieri posse, ipsi Hippocrati affirmanti et juranti non credam.

II.

Versio tusci epigrammatis, quod scripsimus an. 1775. et Senis edidimus; quum B. Virginis a Provenzano celeberrima imago sollemni supplicatione per Urbem veheretur (a).

Aeterno in speculo, micante, dio,
Quo res clarius evidentiusque,
Quam quae conspicimus palam, videntur,
Senas Virgo videt; suumque formis
Ornari omnibus, excolique vultum.
Et pompam videt; atque ibi paratum
Quidquid vel Genius, Opesve, Amorve
Possunt instruere; inclytum, novumque
Spectaclum, superis prope quod ipsis
Mirandum foret, et voluptuosum.
Gaudens risit, et intimis medullis
Maternum magis excitavit ignem;
Unde et flammea vox Parentis exIt.
O dignos, ait, in quibus notetur
Nomen, filioli, meum! Figurae
Illi pergite vos referre honores:
Hac arte ἀρχέτυπον datur tueri.

III.

Munus Ravennae Metropolitanae destinatum: quod audio adhuc Pisauri apud Comites Fantutios esse.

SIGNVM · IESV · MORIENTIS
ALEXANDRI · ALGARDII · OPVS
QVOD · CAIETANVS · FANTVTIVS · CARD ·
ET · FERDINANDVS · FRATRIS · EIVS · FIL · PRAELATVS · E · XII · PRIMIS
ORNAMENTO · SACELLI · SVI · DEDICAVERANT
MARCVS · ET · IOSEPHVS · FANTVTII · COMITES
FERDINANDI · FRATRES · ATQ · HEREDES
AEDI · METROP · RAVENNATIVM · ABSENTES · DONVM · DESTINANT
VT · SPECTABILI · PIETATIS · DOMESTICAE · MONVMENTO
SEDEM · IN · PATRIA · IMMOBILEM · ET · CVLTVM · PVBLICVM · PARENT
ANNO · M · D · CCC · II ·

(a) *Nel vivo eterno Speglio, ove ogni objetto*
Più chiaramente che in sè stesso appare,
Vide Maria di vaghe forme e rare
Fregiarsi in Siena il suo dipinto aspetto.
Vide poi la gran pompa, e in lei ristretto
Quanto Genio, Ricchezza, Amor san fare;
Spettacol nuovo, che potea destare
Maraviglia nel Ciel quasi, e diletto.
Di gioja rise, e nel materno core
L' usata fiamma risvegliò più viva;
Sicchè accesi i bo' detti venner fuore:
O degni, che il mio nome in voi si scriva!
Rendete, o figli, a quel ritratto onore;
Così l'esempio a vagheggiar si arriva.

IV.

Marmor Florentiae ad SS. Apostolorum.

SIGNVM · IESV · CRVCI · SVFFIXI
INTER · FLAMMAS · INCOLVME · AN · M · DCC · VI ·
ET · OB · ADMIRABILITATEM · OSTENTI
ALTARI · DONATVM · SANCTISSIMEQVE · CVLTVM
IN · AEDE · S · BLASII · EPISC · M ·
EA · DEMVM · PROFANATA · AN · M · DCC · LXXXV ·
TRANSLATVM · INDE · ATQ · HEIC · DEDICATVM · EST
PHILIPPVS · GHINETTVS
CVRIO · TITVLI · SS · APOSTOLORVM · BLASIIQVE
TABVLAM · CVM · INSCRIPTIONE · MARMOREAM · P · C ·
ANNO · M · DCCC · V · MEMORIAE · CAVSSA ·

V.

Patavium missa inscriptio ad virum religiosum, qui cum imaginem B. V. aere excudere meditabatur, re infecta obiit.

IMAGO · DEIPARAE · BYZANTINA
QVAE · CHRISTIANO · SAECVLO · VIII · A · B · VRIO · PRESBYTERO
INIVRIIS · ICONOCLASTARVM · EREPTA · ET · PATAVIVM · DELATA
IBIDEM · IN · AEDE · IVSTINAE · MARTYRIS · ARAM · NACTA
OB · VETVSTATEM · RELIGIONIS
CONCVRSVSQVE · ADORANTIVM · ET · PRECVM · SVCCESSVS
IN · HONORE · MAXIMO · EST ·

VI.

Inscripta iconographiae aedis florentinae S. Benedicti Patris.

D · AVGVSTINO · RABATTAE
ICONOGRAPHIAM · AEDIS · BENEDICTINAE
QVAE · FLORENTIAE · EST
NICOLAVS · MAXIMILIANI · LIBRI
VIRO · RELIGIOSISSIMO · DOCTISSIMO
INSTITVTORI · SVO · D · D ·

IV. v. S. Curio etc. *Priore de' SS. Apostoli.*

VII.

Bononiae ad pinacothecam N. V. Philippi Herculani Eq. S. Uberti in Bavaria, quae aliorum Poetarum versibus editis celebrata est.

In imaginem Noemi ebriosi.

Noemus ille vites
Qui sevit ebriosas,
Primusque de racemis
Recondidit liquores;
Vim primitus potentis
Expertus est Lyaei,
Jacuitque temulentus.
Heu quis timere Bacchi
Non debeat liquores,
Quum justus ille, justos
Et qui praeiret omnes,
Vi perditus Lyaei,
Et gressibus vacillet,
Et balba verba dicat,
Cernatque temulentus
Jam duplices lucernas?

VIII.

In Amannum.

Fortunatus Aman, qua sperat luce parari
Judaeo laqueum, regia sceptra sibi;
Illa vidit Aman infelix luce parari
Regia Judaeo sceptra, sibi laqueum.

IX.

In Absalomum morientem.

Dum vagus immissis fugit Absalomus habenis,
Fertur et ardenti pulverulentus equo;
Aspirant aurae, fluitantesque ardua quercus
Implicuit ramis, detinuitque comas.
Procurrit sonipes, celsa puer arbore pendet,
Hostis adest, tenerum traicit ense latus.
Tum moriens: meus, inquit, amor, mea cura, capilli,
Sic mihi pro cultu redditis interitum?

X.

Sampson et Dalila.

Dum Dalilae Sampson fortem se jactat, et ipsi
Mille suae memorat clara tropaea manus,
Improba subridens mulier: sed, maxime victor,
Inquit, me duce, me milite victus eris.

XI.

Somnia ex sacris literis tria.

Scalas Jacobus noctu per insomnium,
Gedeon videbat pellem, Nabuch arborem.
Quid est boni lusores? cur applauditis?
Cur exhortantes invicem disceditis?
An ut libellum consulatis lusorium
Quid scalae, pelles, arbores significent?
Vel quos ad aleam numeros dent publicam?
Speratis ternum vincere? O gentem credulam!

XII.

In Iobum aerumnosum.

Heu Jobum miserum malique fati!
Quae te incommoda, quam graves procellae
Jactarunt simul et dedere pessum!
Jacturae gregis, aedium ruinae,
Raptae divitiae familiaeque,
Gnatorumque decem cruenta fata:
Ad haec pauperies famesque longa,
Febres, ulcera, vermiumque sordes,
Et quod tristius est molestiusque
Longe his omnibus, inquieta Conjux.

XIII.

Daniel ab leonibus inoffensus.

Laederis invidia, cui non nocuere leones,
O Daniel: cunctis saevior illa feris.

XIV.

In victricem Iuditham.

Vivat io mulier, pueri dixere Bethuli,
Juditha quum castris venit ab Assyriis.
Vivat io, dixere senes, fortissimus heros,
Si formam excipias nil muliebris habet.

XV.

Tobiae canis domum redeuntis. Imitatio ex Anacr. columba.

Amabilis Catelle,
Qui blandiente cauda,
Cursuque concitato
Herum praeis Tobiam,
Ecquo venuste tendis?
Ohe! quid hoc viator
Ad te? brevi repono.
Quum cessimus Ninive,
Annam et senem maritum
Reliquimus Tobiae
Discessione tristes.
Et nunc amariores
Puto ciere fletus.
Quare, ut decet fidelem
Servum, domum praeibo,
Notisque heris adulans
Saltu micante, et aure,
Caudaque blandiente,
Et ganniente voce
Juvenculum Tobiam
Adesse nuntiabo,
Vt conqueri miselli
Jam desinant Parentes.
Vale viator: ultra
Non heic decet morari.

CAPUT IV.

GRATULATIONES PUBLICAE.

I.

Exposita Florentiae prope aedem Florentii M.

DEO · HOMINI · MYSTERIIS · ABSCONDITO
FRATRES · SODALITII · NERIANI · AD · FLORENTII
SVPPLICATIONEM
PRO · DOMINIS · NOVIS
FERDINANDO · III · ARCHID · AVSTRIO
ET · M · ALOISIA · BORBONIA · CONIVGE · EIVS
VTI · DIV · VIVANT · DIV · IMPERENT
AN · M · D · CC · LXXXXI ·

II.

Exposita Utinae in facie aedis Metropolitanae (1).

DEO · ET · CAELITIBVS · PATRONIS
CIVITAS · VTINENSIVM
BELLO · FORMIDOLOSISSIMO · ERVTA
ET · IN · POTESTATEM · FRANCISCI · II · AVG · O · P · REDACTA
SOLEMNIA · GRATIARVM
QVOD · PAX · VTINI · CONSTITVTA
RELIGIONI · SALVTI · FORTVNIS · CIVIVM · BENE · VERTERIT ·

(1) Hujus tituli et sequentium duorum felicitas et virtus Gallorum diuturnitatem non sivit, Utina et Bassano et Mantua strenue recuperatis, et Regno Italico adjunctis.

III.

Exposita Bassani ad aedem Majorem.

PACE · COMPOSITA
RE · VENETORVM · AD · FRANCISCVM · II · AVG · TRANSLATA
PRESBYTERI · MVNICIPII · BASSANENSIS
D · O · M · VOTA · PERSOLVVNT
QVOD · VRBS · SALVA · QVOD · RELIGIO · INCOLVMIS · EST ·

IV.

Exposita Utinae ante aedem Metr. et typis Pecilis vulgata.

D · O · M ·
ARMORVM · POTENTI
SOSPITATORI · DOMVS · AVGVSTAE
OB · ARCEM · MANTVANAM · BELLI · NODVM
A · LEGIONIBVS · CAESARIANIS · PIIS · FIDELIBVS · RECEPTAM
V . KAL · SEXTILES
PETRVS · ANTONIVS · GEORGIVS · ARCHIEPISCOPVS · VTINENSIS
ET · COLLEGIVM · CANONICORVM · METROPOLITANAE · AEDIS
HOSTIAM · SOLLEMNEM · ET ACTIONEM · GRATIARVM
AD · ARAM · MAXIMAM·

V.

Exposita ibidem atque ab eodem edita.

DEO · IMMORTALI · OPIFERO
QVOD · IN · LAETVM · NOVI · SAECVLI · OMEN
PIVS · VII ·
E · SPLENDISS · CASSINENSIVM · ORDINE · INDIDEM · LECTVS
VNDE · SALVBERRIMOS · ROMAE · ANTISTITES · LEGI · AETAS · MAIORVM · VIDIT
PONTIFICATV · TIBVRTINOR · ET · FOROCORNELIENS · IN · EXEMPLVM · FVNCTVS
BINIS · FOELICISSIMISQVE · AD · SVI · ORDINIS · MEMORIAM · DIEBVS
QVORVM ALTER · GREGORII · MAGNI . ALTER · BENEDICTI · PATRIS · EXCESSV
SACRI · HABENTVR
PONTIFEX · MAX · DICTVS · INAVGVRATVSQ · EST
CIVITAS · VTINENSIVM
GRATIAS · ET · VOTA
VT · QVAE · IS · PRO · SALVTE · PVBLICA · GERIT · POSTEAQ · GESSERIT
EADEM · DEVS · O · M · OPE · SVA · BENE · IVVET · FORTVNETQVE
VTQ · EI · CHRISTIANA · REPVB · QVAM · TVRBATAM · ET · AFFLICTAM
ACCEPIT · PACATA · ET FLORENTE · FRVI · LICEAT
EARVM · RERVM · ERGO
PETRVS · ANT · GEORGIVS · ARCHIEP ·
CVM · COLLEGIO · CANONICORVM · METROP · AEDIS · ET · FESTA · VRBE
HOSTIA · DIVINA · IMMOLANDA . PARENTI · DEO · SVPPLICAT
X · KAL · APRILES · ANNO M · D · CCC ·

VI.

Florentiae edita poesis apud Ciardettum (V. Ephemeridas ejus an. 1803.) cum elegantissima versione italica V. Er. Aloisii Clasii, i. e. Fiacchii.

CAROLO · LVDOVICO · INF · HISP ·
ETRVRIAE · REGNVM · AVSPICANTE
HENDECASYLLABI
AD · PVERVM · IESVM ·

Jesu parvule, quem sinu in Parentis
Infanti licet ore vagientem;
Rectorem tamen, arbitrumque regum,
Et rerum dominum fatemur esse,
Fave oh versiculis tui Poetae,
Qui te nunc precibus rogat, lacessit,
Quantum qui pote plurimum obsecrare.
Res est maxima, maximeque digna,
Quam tute auspicio tuo secundes.
En jam Carolus ille Ludovicus
Borbonum genus, et puellulorum
Flosculus, quot adhuc fuere, vel sunt,
Vel posthac alios erunt per annos,
Scandit in solium tener paternum,
Reique occipit imperare Tuscae.
Huic, Matrique simul (cui virilem
Molli in corpore das habere mentem)
Omnes prospera quaeque comprecantur
Quotquot urbs juvenes, senesque Flora
Fert, matresque, nurusque, virginesque:
Parens Flora hominum, artiumque foelix,
Honos Italiae, urbiumque ocellus.
Dicatissima gens tibi est, merensque,
Siquid postulet, adprobationis;
Sed nunc praecipue fragore tanto
Quum strepit, deciesque, centiesque
Tibi unam hanc iterat precationem:
„ Rege cum puero tuere Matrem,
„ Matrem cum puero tuere Rege.
Gliscit rumor adhuc, viaeque passim
Una voce sonant, fora, angiportus,

Vici, compita, fluminisque ripae.
Miratur pater Arnus, alveoque
Algosum caput exserens profundo
Nosse rem cupit; et modo huc modo illuc
Obtutum, cupidasque vertit aures.
Mox ut comperit, auspicante regnum
Carolo, hos populum ciere plausus,
Omen accipit, et referre gestit
Tortis vorticibus, cavisque saxis:
„ Rege cum puero tuere Matrem,
„ Matrem cum puero tuere Rege.
At Rex interea, tenelle Jesu,
Ipse te rogitat, suisque coeptis
Adsis propitius, volensque, poscit;
Et manum implicitus manu Parentis,
Eandemque sequens minore gressu
Blandus, candidulus, comatulusque
Reptat ante tuas pusillus aras;
Flexo et poplite, dexteraque laevae
Juncta, te similem sui requirit
Pictam per tabulam, tibique dicit:
„ Rege cum puero tuere Matrem,
„ Matrem cum puero tuere Rege.
Nec sic ut volucres solent puelli,
Haec profert animo, vago, occupato;
Verum annos superans sagacitate
Scit, quod voce rogat, rogare mente.
Hunc tu tam docilem, et bonum clientem,
Clientem nive quaque puriorem,
Et quavis mage simplicem columba,
Tam pio genitum parente utroque,
Laetus accipe; candidisque votis
Ridenti precor adnuas labello.
Da moresque probos, diesque longos,
Rege et sospite, sospitare Floram
Nusquam desine, Tusciamque totam.
At vos versiculi Catulliani,
Festiva, et lepida, et levis poesis,
Huc huc ferte pedem, quot estis omnes,
Omnes undique, quotquot estis omnes,

Ite, currite, Regiam per urbem
Vos effundite, et optimo dierum
Jocos, laetitiasque duplicate.
Ite, plaudite, Numinique Sancto
Passim dicite tinniente voce:
„ Rege cum puero tuere Matrem,
„ Matrem cum puero tuere Rege.

CAPVT V.

FESTI HONORES SUPERUM STATI VEL INDICTI.

I.

In festo S. Aloisii Gonzàgae.

Septimilli tertiae Classis Grammatici supplex libellus (1).

Gonzagae tenero meo patrono
A me pauca velim, papyre, dicas:
Peccatum stadiis mihi trecentis
Dexter arceat: hocce namque monstro
Tristius nihil est, nocentiusque.
Id me saepe docet, monetque quidam
Clausae Presbyter insidens cathedrae
Sub testudine discolore templi,
Quum dextram mihi tendit osculandam.
Verum an albus homo sit, an sit ater,
Quo sit dente, vel ore, vel capillo,
Quem vicum teneat, vel angiportum
Peccatum, hoc ego distuli doceri,
Nec plane scio. Num severus ille est
Longus ille senex, macer, pilosus,
Qui rava in tunica, comaque ficta,
In qua vix numeres pilos ducentos,
Cunctas torvus obambulat palaestras,
Renes, crura, manus juvenculorum
Iniustis graviter notans flagellis?
Hunc ne sic vocitant? huic ne monstro
Peccati gravis indidere nomen?
Sic certe. Ah precor ergo supplicoque,
Quantum qui pote plurimum obsecrare
Peccatum face praecavere possim:
Nam quid tristius est nocentiusque;
Quid est quod potiore jure malim
Arceri stadiis mihi trecentis?

(1) Moris est in Collegio Rom. ut B. Aloisii die festo adpetente, libellum supplicem eidem dent discipuli omnes classium inferiorum, qui in fasciculos ligati ad urnam Beati, et prope ejus cineres suspenduntur. Septimillus a Confessario admonitus (hujus sedes est ad testudinem templi) ut peccatum effugere a Sancto postulet, credit peccatum esse Correctorem seu Castigatorem puerorum negligentium, vel petulantium. Hunc ergo rogat a se arceri.

II.

Exposita quotannis ad sacellum V. C. Prioris Ricasoli. Prodiit autem inter ephemeridas Paganianas anno 1803.

V̄ · NON · MAIAS
STATA · SOLLEMNITAS · AD · SACRARIVM · HARVM · AEDIVM
CRVCI · IESV · SALVTIFERAE · ET · RELIQVIIS · COELITVM · VENERANDIS
QVAE · IN · EO · SVNT
VENIA · ETIAM · POENARVM · RITE · SVPPLICANTIBVS · PLENE · INDVLTA
QVISQVIS · HAEC · LEGIS · INGREDERE
ADORA · DEBITA · COELO · PIGNORA
HEIC · TIBI · PATRONOS · FACITO · QVI · CIVEM · TE · FACIANT · SVVM ·

III.

Exposita ad S. Joannis Majoris in Mucello agri Flor. et Florentiae edita apud Ciardettum An. 1803. *V.* Relazione delle Feste fatte in Mugello ec. pag. 21.

B · IOANNIS · VESPINIANENSIS
CORPVS · ANTE · ANNOS · FERE · D̄ · FLORENTIAE · CONDITVM
QVVM · EX · VRBE · PERMISSV · METROPOLITAE
AD · S · IOANNIS · MAIORIS
PROPE · NATALEM · VIRI · SS · CVRIAM
FESTA · POMPA · TRANSFERTVR
PRESBYTERI · ET · POPVLVS · DE · VICO · LAVRENTIANO
GRATVLABVNDI · IN · OCCVRSVM · EIVS · EFFVSI
CONTERRANEVM · SVVM
VIRTVTE · PRODIGIIS · FAMA · INSIGNEM
INTRA · OPPIDVM · IN . AEDEM · MAXIMAM · DEDVCTVM
IX · KAL · SEXTIL · A · M · DCCC · III ·
PER · DIEM · VNVM
IBIDEM · DEVENERANDVM · PROPONVNT
SALVE · DECVS · CIVIVM · SALVE · EXEMPLVM · SANCTITATIS
TVERE · LAVRENTIANOS · TVERE · MVCELLANOS · TVOS
HEIC · TECVM · RELIGIO · PAX · COPIA
FAVSTITAS · HABITET
SERVA · PATRIAM · QVAE · TE · OLIM · PEPERIT · CAELO ·

IV.

Exposita Florentiae ad portam aedis Sororum Capuccinarum.

VERONICA · IVLIANA · TIPHERNATE
VIRG · FRANCISCANA · DE · ORD · MINOR · CAPVC ·
EX · AVCTORITATE · P · M · IN · ALBVM · BB · CAELITVM
RELATA · $\overline{XVI}$ · KAL · QVINT · AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{IV}$ ·
SANCTIMONIALES · EIVSDEM · ORD · FLORENTINAE
DE · QVARVM · COLLEGIO · SORORES · GEMINAS
IPSO · APOTHEOSIS · SVAE · DIE
EX · DIVTVRNO · MORBO · INCOLVMES · REPENTE · RESTITVIT
GRATVLATIONEM
OB · HONORES · SVPERVM · VIRGINI · SODALI · PERMISSOS
INCHOATVMQVE · AB · EA · ADMIRABILI · MODO
HVIVS · COLLEGII · PATRONATVM ·

V.

Exposita ad paroeciam Villae Magnae in agro Florentino per triduales ferias.

B · GHERARDO · AB · VILLA · MAGNA
EQVITI · HIEROSOLYMARIO · SODALI · FRATRVM · MINORVM
AB · IPSO · S · FRANCISCO · PATRE · IN · $\overline{III}$ · ORDINEM · COOPTATO
INSTITVTORI · SODALITATIS · FLORENTINORVM · SEBASTIANAEAE
S · PHILIPPO · BENITIO · COLLEGA · OPERIS · INCHOANDI
PEREGRINATORI · PALESTINAE · ANACHORETAE · THVSCIAE
CVI · OB · VITAM · SOLAM · ATQVE · ASPERAM
IN · CAELESTIVM · CONTEMPLATIONE · DIV · ACTAM
ET · OB · ADMIRABILITATEM · PRODIGIORVM · ATQ · FREQVENTIAM
AETAS · MAIORVM · HILARIONIS · NOVI · COGNOMEN · INDIDIT
$\overline{II}$ · VIRI · FESTO · ADPARANDO · ET · POPVLVS · VICI · VILLAE · MAGNAE
VICANO · SANCTISSIMO · QVI · AETERNAM · HVIC · LOCO · FAMAM · DEDERIT
SVPPLICATIONES · PER · TRIDVVM
AD · RECOLENDAS · VIRTVTES · EIVS · AGENDASQVE · EI · GRATIAS
IPSIVSQ · TVTELAM · SIBI · DOMIBVS · AGRISQ · SVIS · IN · PERPETVVM
PROMERENDAM ·

IV. v. 8. Prodiit Florentiae historia ejus miraculi ap. Paganos.

Exposita Florentiae et ibidem vulgata: carmina cum interpretatione elegantissima V. Er. Ab. Lepri Rhetoris in Sèmin. Archiep.

VI.

Ad portam atrii S. Mariae Magdalenae de Pactiis.

HONORIBVS · COELITVM
DECRETO · PII · VII · PONT · MAX · ADTRIBVTIS
MARIAE · BAGNESIAE · FLORENTINAE · VIRGINI
DOMINICANAE · ORDINIS · TERTII
VIRGINES · COLLEGII · PACTIENSIS
SVPPLICATIONES · IN · TRIDVVM
AD · ARAM · CORPVSQVE · INTEGRVM · EIVS ·

VII.

Ibidem. Ad templi portam, quae ab latere est.

Caelestes honores B. M. Bagnesiae praesignificati A. M. D. LXXXIV.
Ex vita S. M. Magdalenae Pactiae.

Vere es futuri Magdalena praescia;
Bagnesis illa, quam Piorum videras
Sedes tenere splendida indutam stola,
Ejusque nomen praecinebas inclytum,
Sanctumque late gentibus quondam fore;
Quum saecla bina tale post oraculum
Et lustra vix quaterna sol exegerit,
En illa fastis caelitum modo addita
Placatur, aris, thure, sacris lucibus,
Damnatque votis. Ejus en integritas,
Interque longas robur aegritudines
Expers querelae, et Numinis flagrans amor
Cluent ubique, maxime ipsa civium
Ornatur (audin?) laudibus, qui patriae
Novam hanc patronam praedicant, decus novum,
Vere es futuri Magdalena praescia.

VIII.

Ibidem. Ad portam alteram.

B. M. Bagnesiae corpus ab anno M. D. LXXVII.
ad hanc usque diem incorruptum.

Bagnesis illa, quam supra aram cernitis,
Si vera visus mentibus renuntiat,
Sopita paullulum, hospites, non mortua est.
Nam mortis inlibata dentibus jacent
Decora membra; et semiclusa per labra
Securitas, et gaudium, et risus volant,
Ceu blanda per quietem spectet somnia.
An sponsi Jesu imaginem objecit sopor,
Et jam paratas Caeli in arce nuptias,
Auditque se cieri, et ornat lampada?
Nam quod quis optat vigil, id etiam somniat.
At tu quiesce Virgo, propeque Pactiam
Mane excitantem saecula extremam tubam.
Tunc utraque adsurgetis, et nisu pari
Trans sidera evolabitis, binae velut
Uno columbae prodeuntes nidulo.

IX.

Vulgata Florentiae per ferias Natalitias in libello quem vocant L'Ape *cum versione elegantissima V. E. Aloisii Clasii an.* 1803.

Caecus mendicans ad Sacram aedem
die I. C. Natali: hendecasyllabi.

Hem vos Christiadae! stipem misello
Caeco porgite, quem nivalis auster,
Edendi et rabies maligna torquet,
Per vos, siquid amatis, elegantem, (1)
Jucundum, tenerum, sacrum puellum,
Per cunabula dura, zonulamque,
Olli quae niveum latus revincit,
Jejunae date pixidi quadrantem.
Nullo excussa sonat quadrante pyxis;

(1) Ex autographo romano versus quinque suppleti.

At mihi medio inquieta ventre
Intestina sonant, dapemque poscunt.
O longam nimis esuritionem!
O caecum miserum, malique fati!
De tot millibus ergo commeantum,
Ultro qui assidue citroque cursant,
Quadrantem mihi nemo? nemo qui me
Tantillo pretio velit Puello
Natalem recitare cantionem?
At pixis sonuit. Bene ac beate
Sit tibi, bene qui facis misello,
Teque Infans ope sospitet benigna.

Caeci naenia.

Augustus plenas mundi torquebat habenas,
Et domitis Dacis condebat saecula pacis;
Ecce Dei proles post multos denique soles
Expectata venit, nobis quae vulnera lenit,
Laxat et immitis crudelia vincula Ditis.
Visus ab indoctis per amica silentia noctis,
Aliger ipse viam monstrat reperire Mariam,
Pastoresque gregis trahit ad cunabula Regis,
Quem bovis, et belli flatus calefactat aselli.

X.

Alius titulus pro aedibus N. N. Ricasolorum ad sollemnia de quibus *pag.* 20.

SANCTORVM · CAELITVM · RELLIQVIAS
QVAS · IN · TVTELAM · AEDIVM · SVARVM
LEOPOLDVS · RICASOLVS · S . STEPH · EQVES · PRIOR
LONGO · STVDIO · CONGESSERAT
ET · PRIVATIM · IN · SACRARIO · SVO · DEDICAVERAT
V̅ · NONAS · MAIAS
PVBLICE · VENERANDAS · PROPONIT
PLENA · INDVLGENTIA · RITE · SVPPLICANTIBVS · A · P · M ·
IMPETRATA
INGREDERE · CIVIS · EXTERVSVE
PRECARE · QVORVM · CINERES · COLIS
VT · IIDEM · TE · QVOQVE · AC · TVOS
IN · FIDEM · SVSCIPIANT · SVAM ·

LIBER SECUNDUS

PRO VIRIS ET FEMINIS ILLUSTRIBUS

CAPUT I.

NOVORUM PRINCIPUM INAUGURATIONES

I.

Clemente XIV. P. M. renuntiato, epigramma Romae editum emendatius prodit.

Illa ego Fortunae nullo admirabilis ante
    Munere Clementis patria Pontificis, (1)
Nunc Italas inter fortunatissima terras
    Invideor, doctis quaeror et in tabulis.
Me Gallus, me Teutonicus, me noscit Iberus,
    Et quos occiduus Sol, oriensque videt:
Hisque ego mortales moneo; non civibus urbes,
    Sed patriis cives urbibus esse decus..

II.

Petro Francisco Grimaldio Genuensium Duci epigr. ibidem vulg. an. 1778.

Στέψατε τῶν Στήλας Γριμαλδῶν τῶν πότε φίλης
    Πατρίδος ἀρχόντων, εἴπατε τόνδε λόγον·
Χαίρετε Ἡμιθέοι, σφετέροισι γὰρ ἐν μεγάροισι
    Ὑμῶν γηράσκει μὲν γένος, οὐδ᾽ ἀρετή.

Coronate Grimaldiorum columnas (sive hermas)
    Qui charae patriae olim imperitarunt, et dicite:
Gaudete Semidei; nam vestris in aedibus
    Genus senescit, virtus non item.

(1) Oppidum *S. Arcangelo*. Ceterum spectabile est, quod Cajetanus Marinius Pii VII. P. M. Cubicularius, S. Sedis Tabularius, et Bibl. Vaticanae Propraefectus virtute sua et scriptis luculentissimis nobilitavit. Alios quoque cives habuit praedicabiles.

III.

Exposita Florentiae ad porticum Cosmae: ibidem edita a Paganis in ephemeride Tuscorum an. 1791.

OB · ADVENTVM · AVSPICATISSIMVM
MAGN · ETRVR · DVCVM
FERDINANDI · III ·
LEOPOLDI · II · AVG · FIL ·
ET · ALOISIAE · MARIAE
FERD · IV · V · S · R · F ·
S · P · Q · FLORENTINVS
FELIX · ITERVM
AVSTRIACO · ET · BORBONIA
PRINCIPIBVS
VRBEM · ORNANDAM
LVDISQVE · PVBL · HILARANDAM
CVRAVIT
EX · AERE · QVOD · SPONTE
OMNES · ORDINES · CONTVLERVNT ·

IV.

Ibidem exposita, et typis data.

HONORI
IMPER · CAES · LEOPOLDI · II · AVG ·
REGIS · HVNG · BOH · GAL ·
PRINC · OPT · PROVIDENTISSIMI
QVOD · SVPRA · CETERA · BENEFICIA
QVIBVS · PER · ANNOS · XXV ·
TVSCIAM · PRAESENS · ORNAVIT
EIDEM · ABSENS
FERDINANDVM · III · ARCHID ·
DIGNVM · PATRIA · GLORIA · FILIVM
PRINCIPEM · DEDIT
S · P · Q · F ·
MEMOR · GRATVS
DEVOTVS · MAIESTATI · EIVS ·

V.

Prodiit hoc epigramma in libello, cui titulus: In occasione del fausto avvenimento all' Arcivescovado di Siena di Monsignor Alfonso Marsilj. Siena da Torchj Pazziniani 1792.

Sena quod expectas, latio sacratus olivo
En tibi Marsilius Pastor ab Urbe redit.
Quem simul optasti, adnuerunt Fernandus, et ille
Sacrorum toto Praeses in Orbe Pius. (1)
At Roma, unde tibi generis, fideique propago est,
Illa sagax, meritis semper et aequa viris,
Marsilii admirata modo mentemque, animumque,
Judicium hac fertur voce probasse tuum:
Salve o quae tales, pulcherrima Patria, cives
Et paris, et nosti, et luce carere vetas.

VI.

In idem argumentum (2).

ALPHONSO · MARSILIO · SENENSI
PATRIAE · PONTIFICATVM · FELICITER · AVSPICANTI
CIVES · LEONARDI · PROPATRVI · MEMORES
PAREM · REGIMINIS · ADPROBATIONEM
VITAM · IN · ARCHIEPISCOPATV · LONGIOREM
CIVI · OPTIMO · ET · OB · VIRTVTIS · EMINENTIAM
AB · INFIMO · SACERDOTVM · GRADV · AD · SVPREMAM
ECCLESIAE · SVAE · SEDEM · EVECTO
ADPRECANTVR ·

VII.

Fuit Utini in aere pro Praetorio Urbis usque ad victoriam gallicam.

FRANCISCVS · $\overline{\text{II}}$ · AVG :
IMPERIO · AVSTRIACO · AD : ORAM · VENETAM · PROLATO
POSSESSIONEM · VTINAE · VRBIS · ADCLAMATIONE · CIVIVM · SECVNDISSIMA
INCHOAVIT · $\overline{\text{III}}$ · NONAS · IANVARIAS · ANNO · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCC}}$ · $\overline{\text{LXXXXVIII}}$ ·

(1) Duos versus addidimus ad melius declarandum, optionem Urbis, praesentationem, ut ajunt, Ferdinandi II, electionem Pii VI. fuisse. Quod sequitur ad Coloniam Senam olim deductam referes; unde et Sena Julia appellata.

(2) v. 5. xxxi. annos Leonardus Senensem rexit Ecclesiam: Alphonsus tres; sed ita ut memorandus aeque Pontifex habeatur.

VIII.

Utini prodiit ex Typographia Peciliana.

PETRO · ANTONIO · GEORGIO
VIRO · EMINENTISSIMO
VTINENSI · ARCHIEPISCOPATV · IN · EXEMPLVM · FVNGENTI
CVIVS · EXEMPLO · SANCTISSIMO
ITEMQVE
SALVBERRIMA · SCRIPTORVM · CONCIONVMQVE · INSTITVTIONE
CIVES · AD · OMNIA · CHRISTIANAE · PROFESSIONIS · OFFICIA
INFORMANTVR · EXCITANTVRQVE
CVIVS · DOMI · PARSIMONIA · FORIS · LIBERALITATE
REDITVS · SACERDOTII · PVBLICVM · EGENORVM · VECTIGAL · EST
VIRO · MODESTIA · COMITATE · ELOQVENTIA · OMNIGENA · ERVDITIONE
CONSILIO · IN · SVBITIS · REBVS · TOLERANTIA · IN · ADVERSIS · SPECTATISSIMO
QVEM
FRANCISCVS · II · AVGVSTVS
INTER · CONSILIARIOS · PRIMI · ORDINIS · ADLEGIT
ET
PIVS · VII · PONT · MAX ·
XVI · KAL · FEBR · AN · MDCCCIII ·
INTER · PP · CARDINALES · COOPTAVIT
ALPHONSVS · BELLOGRADVS · PRAEFECTVS · TABVLARIO · DIOECESEOS
PONTIFICI · OPTIMO · PATRONO · INDVLGENTISSIMO
SVMMVM · HONOREM · SVMMIS · MERITIS · REDDITVM
GRATVLATVR ·

CAPUT II.

SOLEMNES PRINCIPUM ADVENTUS.

I.

Exposita Patavii ad Coenobium S. Justinae: ibidem typis edita.

PIO · VII · PONT · MAX ·
PRINCIPI · OPTIMO · INDVLGENTISSIMO
PATAVIVM · REDVCI
ABBAS · ET · SODALES · COLLEGII · CASINENSIVM
AD · IVSTINAE · MARTYRIS
ALVMNO · PARENTI · HOSPITI
ADPLAVDEBANT · VIII · KAL · IVN · AN · MDCCC ·
GRATVLATI
VIRTVTEM · EIVS
QVAM · HEIC · IVVENESCENTEM · SVSPEXERANT
DIGNAM · SACERDOTIO · SVMMO
VBIQVE · GENTIVM · PRAEDICARI ·

VIII. v. 20. Praefectus etc. *Cancelliere Arcivescovile.*

II.

Marmor Cortonae pro aedibus Pontificalibus, relatum in Ephemeridas, quibus titulus: Gazzetta Universale 12. Maggio 1804.

OB · ADVENTVM
VRBI · FAVSTVM · FELICEM
M · ALOISIAE · INF · HISP ·
TVSCORVM · REGINAE ·
CAROLI · REGIS · N · MATRIS
REGNIQ · EIVS · ADMINISTRAE
PHILIPPVS · GANVCCIVS · FLOR ·
EQ · HIEROSOLYMARIVS · EPISC · CORTONENSIS
FRONTEM · AEDIVM · PONTIFICALIVM
QVAM · SVPERIORVM · TEMPORVM
FRVGALITAS
RVDEM · RELIQVERAT
OPERE · TECTORIO · ATQVE · ALBARIO
EXPOLIENDAM · CVRAVIT
ANN · MDCCCIII ·

III.

Marmor ibidem collocatum: ibidem vulgatum.

HONORI · M · ALOISIAE · INF · HISP ·
REGINAE · TVSCIAE
QVOD · IV · IDVS · SEPT · AN · M · D · CCC · III ·
CORTONAM · INVECTA
QVVM · TEMPLA · VRBIS · NOBILIORA
AEDEM · IN · PRIMIS · CORPVSQ ·
S · MARGARITAE
RELIGIOSISSIME
INVISISSET
CIVIVMQ · IN · SE · STVDIA
ADMIRABILITATE · VIRTVTIS · SVAE
COMITATE · BENEFICENTIA · INCENDISSET
HANC · ETIAM · DOMVM · INTROGRESSA
AD · NOCTVRNOS · PEGMATVM · IGNES
PROSPECTANDOS
MEMORABILE · EIDEM · DECVS
IMPERTITA · SIT
PHILIPPVS · GANVCCIVS
EPISCOPVS
DEVOTVS · MAIESTATI · EIVS ·

II. v. 8. Eq. Hierosol. etc. *Cavalier di Malta*. III. v. 13. Ad nocturnos etc. *Fuochi artifiziati*.

IV.

Marmor ad Paroeciam Pagi Vincae in dioecesi Apuana.

HIERONYMO · PAVESIO · PONTIFICI · APVANO
QVOD · PAGVM · VINCAM
OB · ASPRETA · RVPESQVE · INTERIECTAS
AB · ALIIS · RETRO · PONTIFICIBVS · INVISITATVM
PRIMVS · ACCESSERIT · V · KAL · QVINT · A · MDCCCIV ·
POPVLVM · CONCIONIBVS · EXEMPLISQ · SANCTISSIMIS
AD · VIRTVTEM · CHRISTIANO · NOMINI · CONSENTANEAM
EXSCITAVERIT
CVRIO · ET · PAGANI
DEVOTI · DIGNITATI · EIVS ·

V.

Marmor in Metropolitana aede Senensium.
Vide Er. V. Modestum Rastrellium de Itin. Pii VII. P. M. T. I. pag. 83.

PRID · NONAS · NOVEMBRES · AN · M · DCCC · IV ·
ADVENTVS · PII · VII · P · M ·
QVVM · REI · CHRISTIANAE · CAVSSA · IN · GALLIAM
PROFECTIONE · SVSCEPTA
HANC · AEDEM · EX · ITINERE · INVISIT
ET · POPVLVM · IN · AREA · PROXIMA · STIPATVM · ADPLAVDENTEM
DE · PODIO · AEDIVM · PRINCIPALIVM
PONTIFICIA · PRECATIONE · LVSTRAVIT
ANT · FELIX · ZONDADARIVS · CARD · ARCHIEP · SENENSIS
DIEM · AD · MEMORES · PATRIAE · FASTOS · LAETISSIMVM
TABVLA · MARMOREA · INSCRIBENDVM
ATQ · HEIC · PROPONENDVM · CVRAVIT ·

VI.

Inscripta ad portam Urbis Florentiae: relata in Ephem. Tusciae,
et in Historia Er. V. Modesti Rastrellii Tom. I. pag. 55.

PIO · VII · PONT · MAX ·
PRINCIPI · OPTIMO · SANCTISSIMO
VLTRA · IVGA · ALPIVM · PROPERANTI
CAROLVS · REX · ETR ·
ET · M · ALOISIA · REGINA
HOSPITI · MAGNO · INTROITVM · VIASQ · VRBIS
FESTO · CVLTV · ORNAVERVNT
DEVOTI · VIRTVTI · EIVS
SVPREMIQ · SACERDOTII · DIVINITATI ·

VII.

Marmor ad Templum S. Spiritus.

HONORI · PII · $\overline{\text{VII}}$ · PONT · MAX ·
SOLATORIS · GALLIAE
QVOD · EO · ITER · INGRESSVS · DVM · FLORENTIAM · DIVERTITVR
NON · NOVEMBRIBVS · A · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{IV}}$ ·
ADVENTV · PRIMO · CVM · PP · CARDINALIBVS · CETEROQ · COMITATV
ET · CVM · CIVIBVS · NOVA · LAETITIA · GESTIENTIBVS
HANC · AEDEM · INIERIT · INDICTAE · IBIDEM · SVPPLICATIONI · INTERFVERIT
LOCI · DIGNITATEM · PRAESENTIA · SVA · ET · PRECATIONE · AMPLIFICAVERIT
COLLEGIVM · PP · EREMITANORVM · S · AVGVSTINI
TABVLAM · MARMOREAM · DEDICAVERVNT
AD · MEMORIAM · FACTI · POSTERIS · TRANSMITTENDAM ·

VIII.

Inscripta ad portam urbis et in Ephem. s. s. publicata.
V. etiam Erud. Rastrellium T. VI. pag. 23.

PIO · $\overline{\text{VII}}$ · PONTIFICI · MAXIMO
EX · GALLIA · REDVCI
CAROLVS · REX · ETRVRIAE
ET · M · ALOISIA · REG · I · I · H · H · CVM · S · P · Q · F ·
ITVM · REDITVM · FELICES · PIETATEM · POPVLORVM · VBIQVE
ADAVCTAM
PARENTI · OPTIMO · SANCTISSIMO · GRATVLANTVR ·

CAPUT III.

LOCA HOSPITIO PRINCIPUM AUT ACCESSU NOBILITATA.

I.

Marmor Patavii in introitu Coenobii P. P. Benedictinorum ad Justinae M.

HONORI
PII · VI · PONT · MAX ·
PEREGRINATORIS · APOSTOLICI
QVOD · GERMANIA · PERLVSTRATA · VENETIAS · ADPETENS
V · ET · IV · IDVS · MAIAS · HISCE IN · AEDIBVS · HOSPITATVS · SIT
EASDEMQVE · XIV · KAL · IVN · HOSPES · ITERVM
NOVO · HONORE · CVMVLAVERIT
ANNO · M · D · CC · LXXXII ·
ABBATE · D · ANTONIO · TRONO · VIRO · REVERENDISSIMO
CVIVS · PRIVILEGIA · SVCCESSORVMQVE · EIVS
INDVLGENTISSIMA · IPSIVS · PONTIFICIS · VOLVNTATE
IN · PERPETVVM · AMPLIATA · SVNT
COLLEGIVM · P · P · CASINENSIVM · AD · IVSTINAE · MARTYRIS ·

II.

Marmor in aedibus Nobilium Mutiorum Podibonitii vulgo Poggibonsi.

FERDINANDO · IV · VTR · SIC · REGI · P · F ·
QVOD · NVPTIIS · FAVSTIS · FELICIBVS
FERDINANDI · III · AVG · F · ET · ALOISIAE · M · FILIAE · SVAE
MM · ETR · DD ·
APVD · VINDELICOS · CELEBRATIS
DVM · IN · REGNVM · REVERTIT
HISCE · AEDIBVS · PRO · MANSIONE · ITINERIS · VSVS · EST
XVI · KAL · MAIAS · AN · M · DCC · XCI ·
ALEXANDER · MVTIVS · NOB · FLOR · ET · GERMANI · FRATRES
HOSPITI · MAXIMO · INDVLGENTISSIMO
OB · DIGNITATEM · LOCO · HERISQVE · EIVS
CONCILIATAM ·

III.

Marmor Senis in aede S. Dominici.

PIETATI · PII · VI · PONT · MAX ·
QVOD · VIII · ID · MARTIAS · ANNO · M · D · CC · XC · VIII ·
TEMPLVM · ET · POSTICVM · S · CATHARINAE · SENENSIS · VIRG · SACELLVM
EXVL · CAPTIVVS · INVISERIT
CAPVT · PATRONAE · CAELESTIS · HEIC · PROPOSITVM
PERDIV · INSPEXERIT · RELIGIOSISSIME · ADORAVERIT
VISVS · PRECARI · CVM · LACRIMIS
VT · QVANDO · EIVS · PRAESERTIM · OPERA · SEDES · PONTIFICATVS · MAX ·
ANTE · ANNOS · CCCC · ROMAM · REVOCATA · EST
EAMDEM · IPSA · PRAESENTI · ERVTAM · DISCRIMINE
ROMAE · SARTAM · TECTAM · SERVARET ·

IV.

Marmor Patavii in introitu Monast. S. Justinae.

PIO · VII · PONTIF · OPTIMO · SANCTISSIMO
QVOD · PATAVIVM · REDVX · ANNO · M · D · CCC ·
HISCE · IN · AEDIBVS · QVAS · OLIM · PRO · LYCEO · HABVIT
AB · DIE · VIII · AD · D · III · KAL · IVNIAS · HOSPITATVS
PRISTINAM · ERGA · VETERES · SOCIOS · BENEVOLENTIAM
ADMISSIONE · COMITATE · BENEFACTIS · TESTATVS · SIT
ABBAS · ET · SODALES · COLLEGII · P · P · CASSINATIVM
ALVMNO · PARENTI · HOSPITI
AMPLIFICATORI · DIGNITATIS · ORDINIS · SVI
CVIVS · VIRTVS · QVAM · HEIC · IVVENESCENTEM · SVSPEXERANT
DIGNA · HONORE · ORBIS · TERRAE · SVMMO · REPERTA · EST ·

V.

Proposita in conclavi Collegii Nobilium Parmensis.

FERDINANDO · PHILIPPI · D · F · PHILIPPI · REG · CATHOLICI · N ·
DVCI · PARMENSIVM · PLACENTINOR · GVASTALLENS · P · F ·
QVOD · V · KAL · NOV · ANNO · PVBLICAE · SALVTIS · M · DCCC · I ·
ET · COLLEGI · PARM · SOBOLI · NOBILIVM · INSTITVENDAE · CC ·
APVD · CONTVBERNALES · COLLEGI · EIVSDEM · CONVIVATVS
LVDISQVE · EORVM · SAECVLARIBVS · SPECTATIS · PROBATISQVE
DOMO · BENIGNISSIME · OBITA · IVVENTVTE · AD · STVDIA · VIRTVTVM
SALVBERRIMIS · ADLOCVTIONIBVS · EXCITATA
FAVSTVM · FOELIX · TERTIO · COLL · N · SAECVLO · AVSPICIVM · DEDERIT
IOSEPHVS · PASOLINIVS · COMES · DOMO · CAESENA
CVIVS · CONCLAVE
OPTIMVS · INDVLGENTISSIMVSQ · PRINCEPS
EODEM · DIE · PRAESENTIA · SVA · DIGNVM · DVXIT ·

VI.

Marmor ad S. Joannis in Valle Arni superiore ad aedem Virginis a Gratiis.

MARIAE · ALOISIAE · REGINAE · ETR ·
CAROLI · REGIS · NOSTRI · MATRI · ET · TVTRICI
QVOD · IN · LOCA · REGNI · SANCTIORA
PEREGRINATIONE · SVSCEPTA
ALMAE · VIRGINIS · IMAGINEM
QVAE · AD · S · IOANNIS · OPPIDVM · EST
IN · VALLE · ARNI · SVPERIORE
RELIGIOSISSIME · INVISERIT · ID · SEPT · AN · M · DCCC · III ·
QVOD · ITEM · PRINCIPES · MEDICEI · COMPLVRES
ET · PETRVS · LEOPOLDVS · M · D · SAEPE · FECERANT
IOANNENSES · PVBLICE ·

VII.

Inscripta in Quiriciano March. Chisiorum: in agro Senensi.

PIO · VI · P · M ·
QVI · VRBE · ATQVE · IMPERIO · EXACTVS
DVM · SENAS · DEDVCITVR
HOSPITIO · AB · CHISIIS · MARCHIONIBVS · VICI · QVIRICIANI
HISCE · IN · AEDIBVS · EXCEPTVS · EST
VI · KAL · MART · AN · M · DCC · IIC ·
IDEMQVE · POSTRIDIE · EIVS · DIEI
ANTONIO · FOELICE · ZONDADARIO · ARCHIEP · SENEN ·
OPERANTE · AD · SACELLI · ARAM
REI · SACRAE · ADFVIT
PLVRIMISQVE · AD · PEDIS · OSCVLVM · INTROMISSIS
PRODVCTVS · IN · MOENIANVM · MVLTITVDINEM · CONFERTISSIMAM
PONTIFICIA · PRECATIONE · LVSTRAVIT
GENS · CHISIA
ORNATA · ATQVE · AVCTA · HOSPITIO · EXEMPLISQVE · EIVS
PRINCIPI · OPTIMO
SACERDOTI · IN · ADMINISTRANDA · ECCLESIA · DILIGENTISSIMO
ET · IN · AERVMNIS · TOLERANDIS · SVPRA · MODVM · CONSTANTI
IMAGINEM · CVM · ELLOGIO
AN · M · DCCC · IIII ·

VIII.

Inscripta Senis: in aedibus Chisiis.

ANNO · M · DCCC · IV ·
QVVM · MARIAE · SENENSIVM · PATRONAE · FESTVM · DIEM
INSTITVTO · VETERI · ADPARATV · NOVO · CIVITAS · AGERET
OB · ADVENTVM · FAVSTVM · FELICEM
M · ALOISIAE · I · H · REGINAE · ETRVRIAE
HARVM · AEDIVM · OPPORTVNITATE · VSA
DOMINA · CLEMENTISSIMA
CVRSVRAM · EQVORVM · INFRENIVM · EX · EISDEM
ET · CELETES · AD · CERTAMEN · DIEI · POSTERI · PROLVDENTES
PROSPECTAVIT
HEROS · OMNI · BENIGNITATE · INDVLGENTIAQ · PROSECVTA · EST
FLAVIVS · CHISIVS · MARCHIO · CVBIC · D · D · N · N ·
MEMORIAM · REI · GESTAE · GRATISSIMA · ANIMI · VOLVNTATE
POSTERITATI · PROPAGABAT ·

IX.

Marmor Senis in Eccl. Metropolitana. Inscriptio edita ibidem.

HONORI · PII · VI · P · M ·
ET · IN · MEMORIAM · NONARVM · MART · AN · M · DCC · LXXXXVIII ·
QVVM · IS · AD · MARIAM · TVTELAM · SENENSIVM · VENERANDAM
INTROGRESSVS
CELLAM · CHISIAM · AB · ALEXANDRO · VII · CONDITAM
PRAESENTIA · SVA · ET · RELIGIONE · AVGVSTIOREM · FECIT
ITEMQVE
AD · COMMEMORATIONEM · IDVVM · FEB · AN · M · DCCC · II ·
QVO · DIE · EIDEM · PONTIFICI · IN · HAC · AEDE · METROPOL ·
SOLLEMNI · CAERIMONIA · PARENTATVM · EST
PRAESENTIBVS · RELIQVIIS · EIVS
QVAE · VALENTIAE · AD · RHODANVM · DEFOSSAE
VBI · DEPOSITVS · ANTE · BIENNIVM · FVERAT
DVM · ROMAM · VECTANTVR
SENIS · CAVSSA · PVBLICI · FVNERIS · SVBSTITERVNT
ANTONIVS · FELIX · ZONDADARIVS · CARD · TITVLO · BALBINA
ARCHIEPISCOPVS · SENENSIS
EA · QVAE · S · S · S · INSCVLPENDA · PVBLICO · MONIMENTO
ET · PROPONENDA · CVRAVIT · AN · M · DCCC · IV ·

X.

Marmor Senis in aula Archiepiscopi.

AD · COMMEMORATIONEM · DIEI · XV · KAL · SEPT ·
ANNI · M · D · CCC · IV ·
QVO · DIE · M · ALOISIA · REG · ETR ·
OPT · INDVLGENTISSIMA
ALVMNOS · GEORGIANI · COLLEGII
SVBCRESCENTEM · SENENSIS · ECCLESIAE · SPEM
EXPERIMENTA · STVDIORVM · SVORVM
INTRA · HANC · AVLAM · EDENTES
PRAESENTIA · SVA · ATQ · ADPROBATIONE · DIGNATA · EST
ANT · FOELIX · ZONDADARIVS · CARD · ARCHIEPISC ·
MONIMENTVM · FACTI · LOCIQVE ·

XI.

Marmor in Cassiano Gentis Orlandiniae

ANNO · M · D · CCC · IV ·
IMPERII · GALLICI · NAPOLEONIS · AVG · PRIMO ·
PIVS · VII · P · M ·
QVVM · AD · EVM · CHRISTIANO · RITV · INAVGVRANDVM
INVITATVS · PROCEDERET
IN · HOC · ORLANDINIORVM · CASSIANO
CVM · P · P · CARDD · CETERISQ · ASSECLIS · SVBSTITIT
NONIS · NOVEMBRIB ·
QVO · DIE · A · PIENTISSIMA · ETR · REG · MARIA · ALOISIA
QVAE · PRIDIE · ADVENERAT
SALVTATVS · HEIC · ET · CONVIVIO · EXCEPTVS · EST
IVLIVS · ORLANDINIVS · EQVES · PRIOR · ORD · S · STEPH ·
NE · POSTERITAS · TANTI · VILLAE · DECORIS · NESCIA · ESSET
REM · LITTERIS · ET · MARMORI · COMMENDANDAM
CVRAVIT ·

XII.

Marmor Flor. in aula Coenobii Sororum de S. M. Magdalena de Pactiis: edita inscr. in Ephemeride litteraria vulgo l'Ape.

HONORI · PII · VII · P · M ·
PRINC · OPTIMI · INDVLGENTISSIMI
QVOD · INTER · GALLICAM · PROFECTIONEM · FLORENTIAE · SVBSISTENS
POSTR · NONAS · NOVEMBRES · ANNO · M · D · CCC · IIII ·
QVVM · MEMORIAS
S · M · MAGDALENAE · PACTIAE · ET · B · M · BAGNESIAE
QVAM · RECENS · IN · ALBVM · CAELITVM · RETVLERAT · ADORASSET
HANC · IN · AVLAM · LIBENS · SVCCESSERIT
ANIMOS · OMNIVM · ADLOCVTIONE SANCTISSIMA
RECREARIT · EREXERIT
ET · VIRGINES · DICATAS · PVELLASQVE · ALVMNAS
COLLEGII · N · ET · COLL · CANDELIANI
CVNCTASQVE · SCHOLAE · MONTALVIAE
SCHOLAEQVE · CLARITIAE · CONTVBERNALES
AD · PEDIS · OSCVLVM · ADMISERIT
ITEMQVE · HONORI
M · ALOISIAE · I · H · REGINAE · ETR ·
OPT · PIENTISSIMAE
QVOD · EIVS · DIEI · IVCVNDITATEM · PRAESENTIA
ET · COMITATE · SVA · CVMVLAVERIT
VIRGINES · COLLEGII · PACTIENSIS · DEVOTAE · MAIESTATI · EORVM ·

XIII.

Marmor ad aulam aedium Pontificalium: Pistorii.

SANCTITATI · PII · VII · P · M ·
ET · MAIESTATI · M · ALOISIAE · REG · ETR ·
QVOD · ANNO · M · DCCC · IV ·
ALTERA · ROGATV · SPLENDIDISSIMI · ORD · PISTORIVM · VECTA
V · NON · MAIAS · CVM · LECTISSIMO · PROCERVM · COMITATV
ALTER · INTER · GALLICAM · PROFECTIONEM · EODEM · DELATVS
VII · ID · NOVEMB · CVM · P · P · CARDIN · VII · ET · PRAESVLIBVS · ITEM · VII ·
IPSA · QVOQVE · DOMINA · PIENTISSIMA · INSPERATO · INTERVENIENTE
DOMVS · HVIVS · HOSPITIVM · OMNE · ATQ · OBSEQVIVM
GRATISSIME · ACCEPERINT
FRANC · TOLIVS · EPISCOPVS · PISTORIENSIS · ET · PRATENSIS
QVI · FASTIGIA · SACERDOTII · ATQVE · IMPERII · NOSTRI
VNO · DIE · SVIS · IN · AEDIBVS · VENERATVS · EST
QVOD · AB · AEVO · CONDITO · DECESSORVM · NVLLI · CONTIGERAT
MARMOR · AD · MEMORIAM · POSTERITATIS ·

XIV.

Inscripta in Quiriciano Chisiorum March: relata a Rastrellio T. I. pag. 84.

HONORI · ET · MERITIS · PII · VII · P · M ·
FLAVIVS · ET · ANGELVS · CHISII · MARCH · VICI · QVIRICIANI
EQVITES · DE · ORD · S STEPH · CVBICVLARII · REGVM · NN ·
QVI · ANTISTITI · SVMMO · MAGNIS · ITINERIBVS · IN · GALLIAM · TENDENTI
ORATORES · A · PATRIA · OBVIAM · MISSI
QVVM · EVM · AD · IMPERII · FINES · NOMINE · SENENSIVM · CONSALVTASSENT
IN · HOC · ETIAM . PRAETORIO · SVO
TANTISPER · DVM · CESSATIONE · ET · IENTACVLO · VIRES · REPARAT
VENERABVNDI · ACCEPERVNT · PR · ID · NOV · A · M · D · CCC · IV ·
BREVIS · MORAE · HOSPITEM · MEMORIAE · SEMPITERNAE ·

XV.

Marmor Placentiae ap. Comites Scottos.

HONORI · PII · VII · PONT · MAX ·
BONO · REI · CHRISTIANAE · NATI
QVOD · HASCE · AEDES
HOSPITIO · FERDINANDI · ET · AMALIAE · D · D · N · N ·
MOX · BELLO · PER · ITALIAM · COORTO
NAPOLEONIS · IMPERATORIS · INVICTISSIMI
PRIMORVMQ · HVIVS · AETATIS · LEGATORVM · ET · DVCVM
NOBILITATAS
NVMINE · ETIAM · ET · SANCTITATE · SVA · CONSECRAVIT
DOMINICVS · DVGLAS · SCOTTVS · SARMATI · COMES
REI · MEMORIAM . INSCRIPTO · MARMORE
PERENNANDAM
DIESQ · SIBI · SVISQVE · FAVSTISSIMOS . ADIVNGENDOS · CVRAVIT
QVARTVM · IDVS · NOV ·
QVVM · SVMMVM · ANTISTITEM
IN · GALLIAM · PROGREDIENTEM · EXCEPIT · A · M · D · CCC · IV ·
ET · PRID · KAL · APR ·
QVVM · VOTI · COMPOS
REDVCEM · SOSPITEM · RECEPIT
A · M · DCCC · V ·
QVEIS · ANNIS · PII PONT · MAX · ET · NAPOLEONIS · AVG · OPERA
REGNI · CHRISTIANISSIMI · STATVS · COMPOSITVS
CONCORDIA · STABILITA · RELIGIO · MAIORVM : RESTITVTA
FIRMISSIMISQVE · PRAESIDIIS · MVNITA · EST ·

XVI.

Marmor ad S. Joannis in valle Arni superiore ad aedem Virginis a Gratiis.

PIO · VII · PONTIF · MAX ·
QVOD · A · PROFECTIONE · GALLICA · IN VRBEM · REDVX
LEONIS · X · ET · CLEMENTIS · VII · PRAEDECESSORVM
EXEMPLVM · SEQVVTVS
AEDEM · HANC · INGREDI · IMAGINEM · ALMAE · VIRGINIS
A · GRATIIS · PRODIGIORVM · FAMA · NOBILEM
VENERARI PRECIBVS · ET · THVRE · ADOLERE
VOLVERIT · VI · IDVS · MAIAS · AN · M · DCCC · V ·
IOANNENSES · PVBLICE ·

XVII.

Marmor ad montem Ughiorum prope Florentiam.

PIO · VII · PONT · MAX · OPT · PRINCIPI
QVI · GALLIA · AD · PIETATEM · RENOVATA · IN · VRBEM · REDVX
IN · SVBVRBANVM · HOC · GENTIS · CORSIAE
EX · ITINERE · PAVSATVM · DIVERTIT
ATQVE . HEROS · FAMILIAMQVE · PEDIS · OSCVLO
ET · GRATISSIMI · ANIMI · SIGNIFICATIONE · DIGNATVS
FLORENTIAM · PRO · PONTIFICIA · MAIESTATE · INGRESSVRVS
VESTEM · HEIC · ET · RHEDAS · MVTAVIT
PRID · NON · MAIAS · AN · M · DCCC · V ·
FRANC · ANTONIVS · CORSIVS · SALVIATVS · MARCH · CALATIAE
HOSPITI · SANCTISSIMO · MORAE · BREVIS · RECORDATIONIS · DIVTVRNAE
MARMOR · AD · MEMORIAM ·

XVIII.

Marmor Florentiae ad januam S. M. Magdalenae de Pactiis.

PIO · VII · PONTIF · MAXIMO
QVOD · HANC · DOMVM · INGRESSVS · POSTR · NON · NOV · A · M · DCCC · V ·
MEMORIIS · B · M · MAGDALENAE · PACTIAE · ET · B · M · BAGNESIAE
RELIGIOSISSIME · SALVTATIS
CVM · M · ALOISIA · REGINA · ETR ·
SORORES · ALVMNAS · PEDVM · OSCVLO · ET · PIA · COHORTATIONE · DIGNATVS · EST
COLLEGIVM · VIRGINVM · PACTIANARVM · PARENTI · SANCTISSIMO · MARMOR ·

CAPUT IV.

BENEFICIA ET LIBERALITATES PRINCIPVM, ET PRIVATORUM.

I.

In P. Leopoldi legem de quaestionibus. Inscriptio edita Florentiae est (1).

PETRO · LEOPOLDO · AVGVSTI · FRATRI · AVSTR · M · D · E ·
QVOD · STVDIO · ANNORVM · VIGINTI
REPVBLICA · INSTITVTIS · SALVBERRIMIS · ORDINATA
CIVIVM · CRIMINA · PRAECAVENDO · MAGIS
QVAM · VINDICANDO · SVSTVLERIT
EAQVE · RE · SEVERITATEM · VETERVM · LEGVM
AD · INNOCENTIAM · HVMANITATEMQVE · SVI · TEMPORIS · ADTEMPERAVERIT
TORMENTA · QVAESTIONVM
PVBLICATIONEM · BONORVM · SVPPLICIVM · CAPITIS ·
ACTIONEM · DE · MAIESTATE · AB · IVDICIIS · AMOVERIT
ETRVRIA
PARENTI · OPTIMO · PRINCIPI · INDVLGENTISSIMO
QVI · PRIMVS · EX · OMNI · MEMORIA · DOCVIT
MELIVS · ANIMORVM · CVLTV · QVAM · TERRORE · IVDICIORVM
CIVITATES · IN · OFFICIO · CONTINERI ·

II.

Rodigii: inscripta in aedibus Manfrediniorum.

FRIDERICVS · MANFREDINIVS · MARCHIO · CVBICVLARIVS · AVG · NOSTRI
CONSILIARIVS · PETRI · LEOPOLDI · AVG · FRATRIS · M · D · E ·
PRAEFECTVS · SOBOLI · EIVS · EDVCANDAE · TRIB · MILITVM · CAESARIANORVM
AB · IMP · IOSEPHO · II · AVSTRIACO · P · F · AVG ·
EVOCATVS · AD · BELLVM · TVRCICVM
ET · LEGATVS · DE · EXERCITV · LEGIONI · DATVS
ALBA · GRAECORVM · DVCTV · GEDEONIS · LAVDVNII · EXPVGNATA
VRSOVA · COPIIS · ATQ · OPERIBVS · OBSESSA
HONORIFICE · IN · ITALIAM · REMISSVS
ET · IN · PATRIAM · REDVX
FISTVLAS · GEMINAS · PLVMBEIS · GLANDIBVS · IACIVNDIS
ET · MACHAERAM · VNAM · DE · SPOLIIS · HOSTIVM
QVIBVS · DONIS · MILITARIBVS
AB · FRANCISCO · ARCHID · AVSTRIACO
ALVMNO · SVO · DONATVS · FVERAT
RODIGII · IN · AEDIBVS · PATRIIS · DEDICAVIT
ANNO · M · DCC · LXXXIX ·

(1) Eam tamen legem post quinquennium Princeps retractandam censuit.
II. v. 6. Legatus etc. *Generale*. Ibid. v. 11. Fistulas etc. *Pistole*.

III.

Nomisma Ferdinando III. dicatum ob num. scutatorum plus LXXX. ex aerario R. in publicum quotannis eroganda. V. Ephem. Tuscas an. 1792.

In parte adversa nomismatis.

FERDINANDO · III ·
LEOPOLDI · AVG · FIL · M · D · ETRVR ·
AL · SIRIES · SCALPTOR · MONETARIVS
D · D ·

In parte aversa nomismatis.

MINISTERIIS
REIP · ET · SACRAE · DOMVS
STIPENDIA · AMPLIFICATA
SEDVLITAS · AVCTA
ANNO · M : DCC · XCII ·

IV.

In tabella, quam sub imagine Belliana in majore aedium conclavi inscribendam curavi, quum in veterem domum revocatus sum.

FERDINANDO · III · AVSTRIO · M · D · E ·
PIO · IVSTO · CONSTANTI
ALOISIVS . LANZIVS
PRAEF · MVSEO . ILLVSTRANDO
QVOD · IN · SEDEM · MVNERIS · SVI
AEQVITATE · OPTIMI · PRINCIPIS
AVCTA · CONCLAVIVM · ELEGANTIA
REVOCATVS · EST
ANNO · M · DCC · XCIII ·

V.

Inscripta Rodigii : ubi supra pag. 40.

PYXIS · ONYCHINA · SVM
MEQ · PIVS · VI · P · MAX ·
VRBE · IMPERIO · EXTORRIS
FORTVNAE · PRIORIS · RELIQVIAS
FEDERICO · MANFREDINIO · MARCHIONI · D · D ·
QVVM · IS · AD · VENERANDVM · SVMMVM · ANTISTITEM
ET · AD · CALAMITATEM · EIVS · LEVANDAM
LEGATVS · A · FERD · III · M · E · D · SENAS · VENIT
MENS · MART · ANNO · M · DCC · LXXXXVIII ·
ISQ · EANDEM · ME · SVIS · HEIC · IN · AEDIBVS · DEDICAVIT
O · HOSPES · QVANTVLA · RES · QVANTAM · HISTORIAM · ELOQVOR ·

VI.

Marmor in introitu Bibliothecae publicae Pisaurensis ad statuam V C. conditoris. Meminit hujus inscr. Anonymus auctor Dictionarii historici novi, V. Oliverii.

EQV · HANNIBALI · OLIVERIO · IORDANO · DE · ABBATIBVS
PATR · PISAVRENSI · INCLYTO · PER · EVROPAM · SCRIPTORI
CVI · DOCTRINA · ANTIQVITATIS · PLVRIMVM · DEBET
QVOD · AD · ERVDITIONEM · CIVIVM
DIGNITATEMQ · VRBIS · AMPLIFICANDAM
BIBLIOTHECAM · ET · MVSEVM · PRISCAE · AETATIS
PATRIAE · SVAE · TESTAMENTO · LEGAVERIT
LOCO · DATO · ET · PECVNIA · ADDITA
QVAM · AD · ORNATVM · EORVM
ET · TVITIONEM · HEREDES · CONFERRENT
COMITES · VINCENTIVS · ET · PAVLLVS · MACHIRELLII
AVVNCVLO · OPTIMO · DEQVE · PISAVRENSIVM · NOMINE
OPTIME · MERITO · P ·

VII.

Marmor in valetudinario Marradiensi sub protome. Titulum hunc publicavit Cl. Pacchius in supplemento vitae Ang. Fabr. V. Cl. a se conscriptae, quae extat T. vitarum ejus XX. V. pag. 69.

HONORI
ANGELI · FABRONII · MARRADIENSIS · V · C ·
PATRICII · PISTORIENSIS
EQVITIS · DE · VI · PRIMIS · S · STEPH · P · M ·
SACERDOTIS · PRIORIS
IN · AEDE · ORDINIS · EIVSDEM · PRIMORE
QVAE · PISIS · EST
MODERATORIS · LYCEI · PISANI · PER · AN · XXXIV ·
SCRIPTORIS · ELEGANTISSIMI
DE · HISTORIA · LITTERARVM
DEQVE · ITALIAE · GLORIA · PRAECLARE · MERITI
QVOD · HVIC · VALETVDINARIO · CONDENDO
MILLIA · NVM · SCVTATORVM · III · CIRCITER
PRIMVS · CONTVLERIT
ET · AD · INCREMENTVM · ADPARATVMQVE · EIVS
LIBERALITATES · ETRVRIAE · PRINCIPVM
CONLATIONESQVE · CIVIVM · SVORVM
PROVOCAVERIT
LVCAS · FABRONIVS · PATRVELIS · EIVS
EQV · ORD · S · S · CVRATOR · VALETVDINARII
NOMINE · PATRIAE · ET · SVO · AN · M · DCCC · III ·

VII. v. 4. Equitis etc. *Grancroce*.

VIII.

Inscripta in aula Canonicorum Senensium sub imagine Alex. VII.
Edita a Cl. et Rev. V. Jos. Novaes Canonico in Hist. Pontiff. Romm. Tom. X. pag. 184.

ALEXANDRO · VII · PONT · M · CHISIO
QVOD · SACERDOTIVM · OPVLENTISSIMVM
TITVLO · MARIAE · SANCTAE · MARELLIANAE
CANONICIS · METROPOLITANIS · MANCIPIO · DEDERIT
CVIVS · REDITV · NVMERVS · SODALIVM · II · COLLEGIO · AVCTVS
DIMENSA · AMPLIATA · SACERDOTES · NOVI · CONSTITVTI
QVI · SACRIS · FACIVNDIS · TEMPLO · ADPARERENT
ORDO · CANONICORVM · CIVI · ET · PARENTI · PROVIDENTISSIMO ·

IX.

Ibidem sub imagine Pii VII. P. M. et Ludovici I. Regis Etruriae.

I.

OB · INDVLTVM · COLLEGIO · NOSTRO · MITRAE · PRIVILEGIVM ·

II.

OB · GESTAMEN · AVREI · NOMISMATIS · COLLEGIO · INDVLTVM ·

X.

Marmor Senis in Bibliotheca Seminarii Georgiani.

EX · AVCTORITATE · VIRI · EMINENTISSIMI
ANT · FOELICIS · ZONDADARII · CARD · ARCHIEPISCOPI
LIBRI · DE · OMNIGENA · DOCTRINA · DIVINA · PRAESERTIM
QVOS · AB · IOSEPHVS · MARTELLIVS
CIVIS · SENENSIS
LONGO · STVDIO · GRANDI · AERE · CONGESSERAT
ET · CONTVBERNIO · GEORGIANO · LIBERALISSIME · DONARAT
IN · HAC · BIBLIOTHECA
COLLOCATI · DIGESTI · DEDICATI · SVNT
ANNO · M · DCCC · V ·

CAPUT V.

OPERA PUBLICA ET PRIVATA.

I.

Pro Bibliotheca Manuscriptorum S. Laurentii Florentina. Jussu Ferd. III. M. E. D. (1)

VESTIBVLVM · BIBLIOTHECAE
AB · COSMA · PATRE · PATRIAE · FVNDATAE
QVOD · MICH · ANGELVS · BONARROTIVS · INCHOATVM · RELIQVERAT
FERDINANDVS · III · AVG · F · AVSTRIACVS · M · D · E ·
AD · DECLARANDVM · STVDIVM · SVVM
ERGA · TALES · CIVES · BONASQVE · ARTES
INTER · INITIA · PRINCIPATVS · SVI
EX · FORMA · S · S · ARTIFICIS · PERFICIENDVM · CVRAVIT ·

II.

Marmor ad Pontem Pesae. Inscriptio est quam ego misi; mutata aliqua.

FERDINANDVS · III · AVG · FRATER · M · D · E ·
AD · ITINERA · COMMEANTIVM · EXPEDIENDA
PESAE · FLVMINI
SAEPE · OB · INCREMENTA · AQVARVM · IMPERVIO
MOLEM · PONTIS · SVPERADDIDIT
A · M · DCC · XCVI ·

III.

Marmor ad turrim Castri Igilii.

FERDINANDVS · LEOP · AVG · F · AVSTRIACVS · M · D · E ·
ROGATV · INSVLANORVM
QVI · VITAM · PISCATV · PLERIQVE · TOLERANT
PRAECINCTIONEM · PORTVS · VETVSTATE · INTERLAPSAM
TVTANDISQVE · CYMBIS · IAMDIV · IMPAREM
PECVNIA · SVA · RESTITVIT
A · M · DCC · XCVI ·

(1) Opus coeptum, pontibus constitutis et marmoribus conquisitis, quod conditione temporum perfici non potuit. Ejus tamen cogitati memoria maneat in litteris hisce nostris, qui et meminimus in historia picturae Italorum Tom. I. pag. 274.

IV.

Marmor ibidem.

CASTRO · IGILIO
A · PRAEDONIBVS · TVNETANIS · PROPE · OCCVPATO
ET · VIRTVTE · OPPIDANORVM
CVM · INGENTI · CLADE · HOSTIVM · DEFENSO
FERDINANDVS · III · M · D · E ·
AD · TVTELAM · EIVS · MVROS · REFICI
ET · CISTERNAM · PVBLICAM · FIERI · IVSSIT
ANNO · M · DCCC ·

V.

Marmor Senis ad turrim Circi, seu Fori maximi.

ANNO · M · DCCC · V ·
XII · VIRI · REI · CIVICAE · ADMINISTRANDAE
HOROLOGIVM · VETVSTATE · CORRVPTVM
PECVNIA · PVBLICA · EX · INTEGRO · RESTITVERVNT
PRAEFECTIS · OPERI · FACIVNDO · VIRIS · CLARISS ·
BANDINELLO · CERRETANIO · QVI · ET · BANDINELLIVS · PAPARONIVS
DE · ORD · EQVITVM · S · STEPH · CVRATORE AEDIS · PROVENZANAE
ANT · FORTIGVERRA · BERNARDINO · BANDINELLIO · EQV · ORD · S · S ·
OPVS · CONSVMMATVM · INTRA · AN · II ·
PER · IO · LAVRENTIVM · BARBETTVM · SENENSEM · MACHINATOREM
ADIVTORE · AD · CONSVLTATIONEM · DATO · V · C ·
FRANCISCO · ZACCHERO · MATHEMATICO III VIRO · LITIBVS · IVDICANDIS
DEDICATVM · IDIB · IANVARIIS ·

VI.

Marmor ad Praetorium Capponianum vulgo Torre di S. Romano.

ARCEM · TVTANDIS · REIP · FINIBVS · EXCITATAM
AD · QVAM · ANNO · MCDXXXII ·
COLLATIS · CVM · EXERCITV · VICECOMITVM · SIGNIS
RES · FLORENTINORVM · CONSILIO · MAXIME
NERII · CAPPONII · LEGATI · REIP · ET · DVCIS · EQVITVM · STETIT
A · GINO · CAPPONIO · SENATORE
TESTATIS · HYACINTHAE · MOLINELLIAE · TABVLIS · ADQVISITAM
ATQVE · EI · RECVPERATORVM · SENTENTIIS · ABIVDICATAM
MARCHIO · GINVS · ROBERTI · F · GINI · SEN · NEPOS · CAPPONIVS
ORD · EQV · S · STEPHANI · PRIOR
PECVNIA · SVA · REDEMIT
IDEMQVE · CAELI · SALVBRITATEM · LOCI · AMOENITATEM · SECVTVS
OPERIBVS · AMPLIATIS · VIRTVTIS · AVITAE · MONIMENTVM
IN · VILLAE · FACIEM · ET · VSVM · ORNAVIT
ANNO · MDCCLXXVII ·

v. v. 12. III.Viro etc. *Auditor di Ruota a Siena.*

VII.

Marmor in agro Senensi ad moletrinam Nobb. Bellantiorum.

FRANCISCVS · ANTONII · BELLANTII · F · PICCOLOMINEVS
EQVES · TVSCI · ORDINIS · S · STEPHANI
VSIBVS · ET · MVNICIPVM · ET · SVIS
AQVA · VNDEQVAQVE · COLLECTA
MOLETRINAM · CVM · OMNI · INSTRVMENTO · EIVS
PER · BERNARDINVM · TOZETVM · ARCHITECT · F · C ·
AN · M · DCC · XCI ·

VIII.

Bassani: marmora in villa N. N. Rezonicorum cum brevibus titulis.

I.

OTIVM · CVM · DIGNITATE ·

II.

MVSIS · ET · AMICIS ·

III.

CESSA · NE · DEFICIAS ·

IV.

QVIESCE . VT · AGAS ·

IX.

Marmor Utini ad basim Meridianae. (1)

DECRETO
VII · VIRORVM · VTINENSIVM
M · DCC · XCVIII ·

X.

Marmor in agro Pisano: ad Praetorium nob. gentis Quarantoctiae.

LVCRETIA · ANTONII · F · QVARANTOCTIA
FRANCISCI · MONTII · EQV · STEPHANIANI
HORTO · GENTIS · SVAE · CVIVS · SVPREMA · HERES · FVIT
IN · PLATEAM · REDACTO
EANDEM · SVMPTV · SVO · STRAVIT · ORNAVITQVE
ET · A · VIA · PVBLICA · LATA · PEDES · OMNINO XII ·
CIPPIS · INTER · PRIVATVM · ET PVBLICVM · POSITIS · TERMINAVIT
ITEM · PONTEM · LATERICIVM · S · P · FECIT
ANNO · M · DCCC · II ·

(1) Hanc in foro constituit R. P. D. Franc. Stella Congr. S. Paulli, cujus ellogium v. in Ephem. litter. Venet. an. 1800.

XI.

Marmor ad pagum Zoppolam in agro Utinensi.

HORTATV · COMITVM · PATRONORVM
HAS · AEDES · VETVSTATE · COLLABENTES
POPVLVS · PAGI · ZOPPOLENSIS
PECVNIA · SVA · RESTITVIT
ANNO · M · D · CCCI ·

XII.

In Porticu N. N. Justinianorum. Venetiis Simulacra bonarum Artium depicta cum emblematibus.

I.

Sapientia. Noctua.

IN · TENEBRIS · VIDEO ·

II.

Ars Oratoria. Sirenes.

INVITVM · TRAHIMVS ·

III.

Ars Poetica. Cycnus volitans.

ME · RAPIT · AVRA ·

IV.

Ars Graphice, cui Pictura et disciplinae affines subjacent. Helitropium.

PVLCHERRIMA · SPECTO ·

V.

Ars saltatoria. Stellae.

LEGE · MOVEMVR ·

VI.

Ars musica. Incudo cum malleo.

IN · NVMERVM ·

XIII.

Inscr. in Bibliotheca Senat. del Benino V. C. Florentiae.

ORLANDVS · MALEVOLTIVS · DEL · BENINO
COMES · EQV · STEPHAN · SENAT · CVBIC · AVGG · TRIVM · MAG · DVC · DVORVM
QVVM · LIBROS · AB · ADOLESCENTIA · ERVDITIONIS · OMNIGENAE · COEMISSET
DOMIQVE · VARIIS · IN · LOCIS · CONLOCASSET
AD · OPPORTVNIOREM · EISDEM · SEDEM · CONSTITVENDAM
VICINIS · AEDIBVS · COMPARATIS · LAXATISQVE · SVIS
BIBLIOTHECAM · HANC · CVM · FORVLIS · OMNIQVE · ORNATV · FECIT
TOTAMQ · LIBRARIAM · SVPELLECTILEM · EXPLICAVIT · ORDINAVITQVE
ANNO · M · D · CC · XCII ·

XIV.

Missa Collem petitu Curatorum valetudinarii publici.

IACOBO · RANIERO · COLLENSI · V · C ·
AB · ORIGINE · PATRICIO · SENENSI
QVOD · EXEMPLO · COMMEMORABILI · CHRISTIANAE · BENIGNITATIS
BONA · COMPLVRA · VALETVDINARIO · COLLENSIVM · PVBLICO · LEGAVERIT
IPSAMQVE · HEREDITATEM · QVAM · GREGORIO · FRATRIS · F · TRANSMITTEBAT
EA · CONDITIONE · OBLIGAVERIT
VT · SI · FORTE · IS · SINE · LIBERIS · DECESSISSET
IN · EANDEM · PROPE · VNIVERSAM
VALETVDINARIVM · SVCCEDERET
VIRO · OPTIMO · AMANTISSIMO · CIVIVM
CVRATORES · LOCI · EX · TESTAMENTO · GREGORII · EQV · SVPRASCRIPTI
AN · M · D · CCC · V ·

XV.

Marmor Colle petitu eorundem, et e regione superioris intra valetudinarium collocandum.

GREGORIO · RANIERO · COLLENSI · V · C ·
PATRICIO · SENENSI · EQVITI · ORD · S · STEPH · P · M ·
QVI · COELEBS · DECEDENS · VII · KAL · MAIAS · A · M · DCCC · III ·
VALETVDINARIO · COLLENSIVM · PVBLICO
ET · PATRVI · HEREDITATEM · SANCTE · SERVATAM · RELIQVIT
ET · SVBSTANTIAM · OMNEM · SVAM · TESTAMENTO · DARI · IVSSIT
VNDE · OFFICINA · MEDICINALIS · SPLENDIDE · INTRA · HAS · AEDES · PARARI
PHARMACOPOLA · AMPLIS · CONDITIONIBVS · CONDVCI
AEGROTI · COMMODIVS · LIBERALIVSQVE · HABERI · POSSENT
VIRO · PIENTISSIMO · DOMESTICAE · LAVDIS · AEMVLATORI
CVRATORES · LOCI · EX · TESTAMENTO · AN · M · DCCC · V ·

CAPUT .VI.

MVSEA.

I.

Musei R. Florentini Historia sub imaginibus Principum Mediceorum et Lotharingiorum expressa in vestibulo ejusdem Musei. Eorum Ellogiorum memini in historia Pictorum Italica T. I. p. 273. Memini quoque in descriptione Musei; meminere et ejusdem descriptores; sed nomen auctoris apud eos intercidit.

COSMAS · Ī · MEDICES · M · D · E ·
CVIVS · STVDIO · ET · IMPENSA
IMAGINES · HOMINVM
EX · OMNI · MEMORIA · ILLVSTRIVM
E · PROBATISSIMIS · EXEMPLARIBVS · DEPICTAE
MAXIMAE · AVRI · ARGENTI · AERIS · ANTIQVI · COPIAE
AVITO · GENTIS · SVAE · THESAVRO · AGGREGATAE · SVNT
QVAE · ORNAMENTO · HARVM · AEDIVM
POSTERI · EIVS · DICAVERVNT ·

II.

FRANCISCVS · Ī · MEDICES · M · D · E ·
QVVM · HASCE · AEDES
A · COSMA · Ī · AD · COMMODITATEM · DOMESTICAM · POSITAS
GAZAE · ANTIQVAE · COLLOCANDAE · PRIMVS · DESTINASSET
AMBVLATIONEM · A · REGIA · VETERE · AD · ARNI · RIPAM
ADIECTO · CONCLAVI · CVM · THOLO
EXCOLENDAM · PICTVRA · ATQVE · OMNI · ORNATV · CVRAVIT
MVSEVM · MEDICEVM
TABVLIS · SIGNIS · NVMISMATIS · GEMMIS
LOCVPLETATVM · APERVIT ·

I. v. 8. *Imagines etc.* Vultus clarorum hominum a Jovio collectos jussit exprimere Christophorum dell' Altissimo, eosq. in Museo dedicavit.

II. v. 6. Conclavi etc. Vulgo *la tribuna*.

III.

FERDINANDVS · Ī · MEDICES · M · D · E ·
QVI · NVMERVM · CONCLAVIVM · MVSEO · AVXIT
PECVNIAM · VETEREM · DVPLICAVIT
ET · POCVLA · E · GEMMIS · CAVATIS · MVLTA · SVPERADDIDIT
EIVSDEM · FELICITATE
NIOBE · CVM · LIBERIS · MARMOREA · SYMPLEGMA · PVGILVM
SIGNVM · IVVENIS · FERRVM · ACVENTIS · AD · COTEM
CRATERA · CVM · IPHIGENIAE · FABVLA · ANAGLYPTA
ET · VENERIS · ATQVE · APOLLINIS
VENVSTISSIMA · ORBIS · TERRAE · SIMVLACRA
COMPARATA · ROMAE · SVNT
QVIBVS · ALII · PRINCIPES · ARCESSITIS
HANC · VRBEM · SPECTABILIOREM
FECERVNT ·

IV.

COSMAS · ĪĪ · MEDICES · M · D · E ·
HIC · OPVS · CONCLAVIVM
QVAE · SPECTANT · AD · ORIENTEM · SOLEM
A · FRANCISCO · PATRVO · SVO · COEPTVM
ET · A · FERDINANDO · PATRE · AMPLIATVM
CONSVMMAVIT · ADORNAVITQVE
ET · PICTIS · TABVLIS · DITAVIT
IDEM · THOMAE · DEMPSTERO
LIBRORVM · DE · TVSÇIS · ANTIQVITATIBVS
SCRIBENDORVM · AVCTOR · FVIT
PER · QVOS · AD · NOVVM · ERVDITIONIS · GENVS
VIA · MVNITA · EST ·

V.

FERDINANDVS · ĪĪ · MEDICES · M · D · E ·
HIC · MARMORA · LITTERATA · ET · OPERA · VETERVM · FIGLINA
ET · IMAGINES · NVMMOSQVE · AVGVSTORVM
ET · ANTIQVAM · OMNIS · GENERIS · SVPELLECTILEM
EX · HAEREDITATE · PRINCIPVM · VRBINATIVM
ATQVE · EX · SVMPTV · SVO · IN · MVSEVM · INTVLIT
CONCLAVIA
MENSIS · MVSIVI · OPERIS · GEMMATIS · INSTRVXIT
AMBVLATIONEM
AB · ARNI · RIPA · AD · PORTICVM · HELVETIAM
EX · FORMA · FRANCISCI · PROPATRVI · SVI
PINGI · ATQVE · ORNARI · IVSSIT ·

III. v. 6. Symplegma etc. *La lotta*. ibid. 9. Veneris. Quae nunc in Gallia.
V. v. 10. Porticum Helvetiam. Vulgo: *la loggia de' Lanzi*.

VI.

LEOPOLDVS · COSMAE · $\overline{\text{II}}$ · F · MEDICES · CARD ·
QVI · GEMMAS ; CAELATAS
ET · NOMISMATA · AVGVSTORVM · MISSILIA
SVPRA · CETEROS · GENTIS · SVAE · PRINCIPES · COEMIT
ITEM · PICTORVM · MAXIME · EMINENTIVM · TABVLAS
QVEIS · SVAM · QVISQVE
EFFIGIEM · ATQVE · ARTEM · EXPRESSERAT
EO · SVCCESSV · ET · LAVDE · COLLEGIT
QVAE · AEMVLATORE · APVD · POSTEROS · CARITVRA · SIT ·

VII.

COSMAS · $\overline{\text{III}}$ · MEDICES · M · D · E ·
A · QVO · MVLTA · PRISCAE · AETATIS · MONVMENTA
EX · HEREDITATE · LEOPOLDI · PATRVI · ATQ · AVORVM
AD · CELEBRITATEM · MVSEI · TRANSLATA
NVMMI · VRBIVM · VETERVM · CONQVISITI
SERIES · AVGG · E · MARMORE · SVPPLETA
OPERIBVSQ · AMPLIATIS
CONCLAVIA · CVM · OMNI · ORNATV · SVO · $\overline{\text{III}}$ ·
AD · OCCIDENTEM · SOLEM · ADDITA · SVNT ·

VIII.

IO · GASTO · MEDICES · M · D · E ·
HIC · GEMMAS · ANTIQVAE · CAELATVRAE · $\overline{\text{CCC}}$ ·
ET · OPERA · EX · AERE · PERMVLTA
VETERIS · NOVIQVE · ARTIFICII
MVSEO · DONVM · DEDIT
MEDICEISQVE · MONVMENTIS
PER · ANTONIVM · FRANCISCVM · GORIVM
INTERPRETANDIS · VVLGANDIS
CONSILIA · REM · AVSPICIA · CONTVLIT ·

IX.

IMP · FRANCISCVS · LOTHARINGIVS · AVG · M · D · E ·
CVIVS · MVNIFICENTIA · MVSEVM · MEDICEVM
SIGNIS · AEGYPTIIS · NVMMIS · VETERIS · MEDIIQVE · AEVI
TITVLIS · MONVMENTORVM · LATINIS
ATQVE · ACCESSIONE · OPVM · ANTIQVARVM
QVAS · LOTHARINGIAE · PRINCIPES · CONGESSERANT
LOCVPLETATVM
ITEM · EX · EA · PARTE · QVAM · VIOLENTIA · IGNIS · DELEVERAT
RESTITVTVM
ET LINEARI · PICTVRA · PER · ARTIFICES
PENSIONE · PERPETVA · CONDVCTOS · EXPRESSVM · EST ·

VI.v.3. Nomismata etc. Vulgo *Medaglioni.* IX.v.10.11. Lineari pictura etc. *Disegnato da' pittori pensionati.*

X.

Petri Leopoldi merita in Museum brevius comprehensa; et sub imagine marmorea a Carradorio sculpt. Regio caelata Marmor inscriptum.

PETRVS · LEOPOLDVS · FRANCISCI · AVG · F · AVSTRIACVS · M · D · E ·
AD · VRBIS · SVAE · DECVS · ET · AD · INCREMENTVM · ARTIVM · OPTIMARVM
MVSEVM · MEDICEVM
OPERIBVS · AMPLIATIS · COPIISQVE · AVCTIS
ORDINANDVM · ET · SPLENDIDIORE · CVLTV · EXORNANDVM · CVRAVIT
ANNO · M̅ · D̅ · C̅C̅ · L̅X̅X̅X̅I̅X̅ ·

XI.

Leopoldi Lotharingii Austriaci merita in Museum maxima plenius expressa.

PETRVS · LEOPOLDVS · FRANCISCI · AVG · F · AVSTRIACVS · M · D · E ·
MVSEVM · MEDICEVM
BELLICO · INSTRVMENTO · ET · PHYSICO · APTIORA · IN · LOCA · TRANSLATO
MITIORIBVS · MVSIS · TOTVM · DICAVIT
SCALAS · VESTIBVLVM · BIBLIOTHECAM · FECIT
CONCLAVIVM · NVMERVM · AMPLIAVIT · EADEMQVE · INAVRAVIT
MARMORAVITQVE · ATQVE · OMNI · ORNATV · EXCOLVIT
TABVLAS · C̅L̅ · SIGNA · X̅L̅ · IMAGINES · MARM · L̅ · CIRC · ADDIDIT
CETERA · GAZAE · VETERIS · GENERA
PARTIM · DE · NOVO · INLATA · PARTIM · ADAVCTA
SINGVLA · SINGVLIS · LOCIS · DISTINGVI
ATQVE · IN · ORDINEM · TRIBVI · IVSSIT ·

XII.

Titulus Musei Pucciani parieti inscriptus.

PECVNIAM
AB · ITALICIS · GENTIBVS · EXTERISQVE · SIGNATAM
ET · NOMISMATA · PRINCIPVM · EVROPAEORVM
EX · HEREDITATE
C · V · LAVRENTII · ALBITII · MARCH · SEN · FL ·
LVCAS · PVCCIVS · MARCH · EQV · STEPHANIANVS
SORORIS · EIVS · FIL ·
SVMPTV · SVO · AMPLIAVIT
IISDEMQVE · ORDINANDIS · ADSERVANDISQVE
MVSEVM · CVM · ARMARIOLIS
ET · CVM · OMNI · ORNATV · FECIT
A · M̅ · D̅C̅C̅ · X̅C̅I̅ ·

XIII.

Emblemata in Museo Marchionis Puccii fornice depicta cum epigraphe ad picturas, quae omnes ad pecuniam adludunt.

I. Fodina.
PERICVLOSE · QVAESITA ·
II. Officina pecuniae signandae.
LABORIOSE · CONFLATA ·
III. Navis ad commercia.
AVGET · REM · PRIVATAM ·
IV. Castra militaria.
TVETVR · REM · PVBLICAM ·
V. Armaria in Musei faciem.
MEMORIAM · RERVM · PROPAGAT ·

XIV.

Marmor Perusiae in Museo Comitis Alexandri Balleonii Oddi. Refert hunc titulum V. C. Jo. Bapt. Vermigliolius Musei publici Praefectus in opere: Inscrizioni Perugine Tom. I. pag. 93.

MARMORA · GADDIANA
QVAE · DIOMEDES · MARCHIO · SORBELLI
IMPETRATA · A · LECTISSIMA · CONCORDISSIMAQVE · CONIVGE
M · LVCRETIA · PITTA · GADDIA
PATRIMONII · AVITI · HAEREDE · EX · QVADRANTE
ALEX · BALLEONIO · ODDIO · COMITI · SORORIS · F ·
DONVM · DEDIT · FLORENTIAE · AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{II}$ ·
AD · AMPLIANDAM · MVSEI · ODDIANI · ET · COMMVNIS · PATRIAE
DIGNITATEM ·

XV.

Inscripta Florentiae in Museo V. C. Nicolai Salvetti.

MONOCROMATA
QVAE · SCALPTORES · QVIQVE · ELEGANTISSIMI
EX · AEREA · LAMINA · CHARTIS · IMPRESSERANT
NICOLAVS · SALVETTVS
$\overline{VI}$ · VIR · I · D · PER · ETRVRIAM · CONSILIARIVS · R · N ·
E · SCHOLIS · OMNIBVS · SELECTA
DVCTVQ · HISTORIAE · PER · AETATES · DIGESTA
IN · SVIS · AEDIBVS · DEDICAVIT
AD · ANIMVM · INTER · SEVERIORA · STVDIA
LIBERALI · OTIO · RELAXANDVM ·

xv. v. 5. VI. Vir etc. *Auditor di Ruota in Firenze.*

CAPVT VII.

ARTIVM QVAE AD GRAPHICEM PERTINENT PATRONI ET ARTIFICES.

I.

Ellogium Leopoldo debitum in Florentina, quam vocant, Artium Academia petiit a me V. C. Onuphrius Bonus, cui absens misi anno 1796
Sed ii casus inciderunt, quibus res prolatata et deniq. dirempta est.

PETRO · LEOPOLDO · AVSTRIO · M · D ·
QVOD · ACADEMIAE
SEDEM · AMPLIOREM · MAGISTROS · COMPLVRES
EXEMPLARIA · STATVARIAE · PICTVRAEQVE · LECTISSIMA
PRAEMIA · SPLENDIDIORA
CHARTAM · LAPIDEM AD · DELINEANDVM
IN · PERPETVVM · EX · AERARIO · SVO · DEDERIT
CONDITORI · NOVO
ACADEMIA · PICTVRAE · SCVLPT · ARCHIT ·
EXERCENDIS · TRADENDIS · M · P ·

II.

Marmor pro atrio Scholae musivi operis.

FERDINANDVS · LEOPOLDI · AVG · FIL ·
AVSTRIACVS · MAGNVS · DVX · ETR ·
AD · SEDEM · OFFICIIS · PVBLICIS · AMPLIANDAM
SCHOLAM · PICTORVM · MVSEI · OPERIS
CVM · THESAVRO · GEMMARVM · SECTILIVM
CETEROQVE · INSTRVMENTO · ARTIS
A · PORTICV · COSMAE · I ·
IN · HAS · AEDES · TRANSFERRI · IVSSIT
A · M · DCC · XCVII ·

III.

Inscripta in parietibus ejusdem Atrii sub imagine Cosmae I. conditoris.

COSMAE · I · M · D · E ·
QVOD · ARS · MVSIVI · OPERIS
E · SECTILI · GEMMA · FACIVNDI
EIVS · IMPENSA · ATQVE · AVSPICIO
FLORENTIAE · INCHOATA · EST ·

II. v. 7. Porticu etc. *Dagli Ufizj.*

IV.

Inscripta ibidem sub imagine Ferd. I. quo Principe ars magnos processus fecit.

FERDINANDO · I · M · D · E ·
QVOD · SIGILLA
E · SECTILIBVS · GEMMIS
MAGNO · ARTIS · INCREMENTO
PRIMVS · FACIENDA · CVRAVIT ·

V.

Inscripta ibidem sub imagine Francisci Aug. quo Principe absolutionem est consecuta.

FRANCISCO I · AVG · M · D · E ·
QVOD · HAEC · ARS
EO · PRINCIPE · ATQVE · AVSPICE
FIGVRIS · VMBRIS · LVMINIBVS
E · PICTVRA · IMITATIS · ABSOLVTA · SIT ·

VI.

Marmor in Schola pictorum Florentiae.

SACELLVM · QVOD · IOANNES · AB · S · IOANNE · PICTVRA · EXCOLVIT
IN · HORTIS · REGIIS · AD · AEDICVLAM · SANCTAE · CRVCIS
NE · INTEMPERIIS · CAELI · OBSOLESCERET
PETRVS · LEOPOLDVS · AVSTRIACVS · M · D · E ·
SECTO · CIRCVM · PARIETE · AMOLIENDVM · PRISTINO · SOLO
ET · IN · SCHOLA · PICTORVM
AD · ORNATVM · EXEMPLVMQ · EIVS · CONLOCANDVM · CVRAVIT
MACHINATORE · GASPARE · PAOLETTO
ANNO · M · DCC · LXXXVIII ·

VII.

Marmor Senis ad S. Francisci.

EXTREMA · RERVM · HVMANARVM
A · IOSEPHO · NASINIO · SENENSI · EQV · AVRATO · DEPICTA
QVAE · PROPOSITA · IN · AVLA · PRINCIPIS · PERDIV · FVERANT
FERDINANDVS · III · AVG . FRATER · M · D · E ·
AN · M · DCC · LXXXXV ·
PATRIAE · ARTIFICIS · DONVM · MISIT
XII · VIRI · MVNICIPII · SENENSIS · ORNAMENTO · VRBIS
IN · AEDE · FRANCISCI · DEDICAVERVNT
SCRIPTVRAMQ · ADDIDERVNT · QVAE · LIBERALITATEM · OPTIMI · PRINCIPIS
AD · POSTEROS · PROPAGARET
ANNO · M · DCC · LXXXXVIII ·

VII. v. 1. Extrema etc. *Le pitture de' Novissimi.*

VIII.

Lucae in nomismate aureo, vel argenteo, cujus ectypum jussu Principum Santarellius elaboravit.

ELISA · NAPOLEONIS · AVG · SOROR · FELIX · I ·
LVCAE · ET · PLVMBINI · PRINCIPES ·

Capita Principum se mutuo respicientia.

ACADEMIA · LVCENSIVM · NAPOLEONEA · INSTITVTA
AN · M · DCCC · V · FELICITER
DIGNIORIBVS · MVNERANDIS ·

Laurea.

IX.

Florentiae in basi marmorea S. Joannis Baptistae in aedibus nobilium Martelliorum.

OPVS · DONATELLI
QVOD · ROBERTO · MARTELLIO · PATRONO · SVO
ARTIFEX · DONVM · DEDIT
NICOLAVS · MARTELLIVS · ORD · S · STEPH · EQ · BAIVL ·
IN · ROBERTI · FAMILIAM · SVCCEDENS
IN · AEDES · SVAS · TRANSTVLIT · AN · M · DCC · LV ·
MARCVS · MARTELL · NIC · F · SEN · FL · O · S · ST · E · B ·
BASIM · MARM · FECIT · ET · TITVLVM · RENOVAVIT
ANNO · M · DCC · XCIIII ·

X.

Ibidem in basi Davidis victoris.

MARCVS · MARTELLIVS
SEN · FL · BAIVLIVVS · ORD · EQV · STEPHANIANI
INTROITV · AEDIVM
IN · MELIOREM · FACIEM · REDACTO
AD · ORNATVM · EIVS
STATVAM · DAVIDIS · VICTORIS
ET · INSIGNE · GENTIS · MARTELLIAE
DONATELLI · OPERA
PRAECONIO · HISTORIAE · NOBILITATA
EX · LOCIS · VBI · PER · INTEMPERIAS · SQVALVERANT
TRANSFERENDA · RESTAVRANDA · CONLOCANDA
CVRAVIT · ANNO · M · DCCC · II ·

XI.

Bassani ap. Comitem Ant. Remondinium sub imagine gypsea.

IO · VOLPATO
SCALPTORI · AERE · LINEANDO · IMPRIMENDO
RAPHAELIS · MORGHEN · MAGISTRO · ET · SOCERO
QVOD · PER · EVM · GENERVMQVE · EIVS
PERQVE · CETEROS · SCHOLAE · ALVMNOS
ARTIS · PRINCIPATVS
QVI · PERDIV · APVD · EXTEROS · FVERAT
IN · ITALIAM · REVOCATVS · EST
ANT · REMONDINIVS · COMES · CIVI · ET · AMICO ·

XII.

Titulus Iconis, quam Ruggerius delineavit an. 1797.
Franciscus Novellius scalpsit a. 1804.

XAVERIO · BETTINELLIO · V · C · ORNAMENTO · TEMPORIS · SVI
IMAGINEM · MARIAE · VICTRICIS · MANTVAE
IN · AEDE · EIVS · DEDICATAM
ANNO · M · CCCC · XC · V ·
QVO · IN · OPERE · ANDREAS · MANTINEA
QVVM · AEQVALES · FERE · OMNES · VICISSET
SE · IPSE · VICIT
IOANNES · DE · LAZARA · EQ · HIEROSOLYMARIVS
DELINEATAM · CVRA · SVA · ET · INSCALPTA · LAMINA · IMPRESSAM
AMICO · OPTIME · DE · SE · MERENTI · DONVM · DICAT ·

XIII.

Marmor Apuae vulgo Pontremoli *ad S. Columbani.*

ANDREAE · LAVR · F · PAVESIO · MARCHIONI
PATRIAE · LAVDIS · AEMVLATORI
QVOD · A · PIETATE · ATQ · A · LITTERIS · ORNATVS
ARTEM · QVOQ · PICTVRAE · LIBERALISSIMAM · PROBE · DOCTVS
GEMINAS · IMAGINES · SVAS · IPSIVS · MANVS
ALTERAM · PVERI · IESV · NASCENTIS · ALTERAM · PROFVGI
ORNATVI · TEMPLI · DICAVERIT
MAGISTER · ET · FRATRES · SODALITII · ALOISIANI
CIVI · ET · SODALI · OPTIMO
MARMOR · AD · MEMORIAM · DONI · PERENNANDAM
ANNO · M · DCCC · V ·

XIV.

In effigies suas, quas Petr. Benvenutus et Aloisius Sabatellius depinxerunt ad voluntatem V. C. Senatoris Martellii, qui eas in pinacotheca sua dedicavit.

Hinc Benvenutus, cives; Sabatellius illinc
De speculo effigiem pinxit uterque suam.
An sint iconicae ne quaerite: quaerite an ipsi
Stent coram, et secto e pariete prospiciant.

XV.

Sub effigie artificis praestantissimi Antonii Canovae (1), *vulgata Florentiae.*

ANTONIO · CANOVAE · EQVITI
STATVARIO · ELEGANTIAE · VETERIS · RESTITVTORI
CVRSIM · FLORENTIA · PRAETEREVNTI · AN · M · DCCC · V ·
RAPHAEL · MORGHEN
EFFIGIEM · EIVS · CESTRO · SVO · INCHOATAM
ET · OB · ANGVSTIAS · TEMPORIS · NON · PERFECTAM · D · D ·
NE · AMICVM · VETEREM · INCOMPARABILEM
XENII · EXPERTEM · DIMITTAT ·

XVI.

In Jocti imaginem apud me.

PRISCAE · ARTIS · IMAGINEM · HOSPES · VIDES
CHRISTI · IN · CRVCE · AGENTIS · ANIMAM
MEO · IN · SACRARIO · PROPOSITAM
QVAM IOCTVS · PICTOR · EMINENTISSIMVS
INTER · MATREM · ET · ALVMNVM · DILECTVM
ET · ANGELOS · TRES · QVI · EIVS · SANGVINEM
PATERIS · EXCIPERENT · OLIM · EXPRESSIT
PELLICANO · EIVSDEM · IN · LIBEROS · SYMBOLO
SVPERNE · DEPICTO
ORA · VT · EIVS · PRAESENTIA · ET · VISV
MORIENS · HERVS · CONFIRMATVS
DIVINI · SANGVINIS · LAVACRI
COMPOS · SIET ·

(1) Quum is Vienna redux convivio liberalissime ab Raphaele Morghen summo item artifice exceptus est: eodemque Petrus Benvenutus et Aloisius Sabatellius pictores, item Santarellius scalptor gemmarum, in suo quique genere Roscii, convenerunt.

CAPUT VIII.

VULTVS CLAR. HOMINVM SCVLPTI AVT DEPICTI.

I.

In imaginem gypseam ex marmorea a Josepho Bellio praeclare sculptam et in Bibliotheca mea dedicatam.

PIVS · VI · PONT · MAX ·
CVIVS · GLORIA · PRINCIPATVS · PROPE · LEONEM · X ·
SACERDOTII · PROPE · SILVERIVM · FVIT ·

II.

Ibidem ex Archetypo ejusdem Regii statuarii.

LVDOVICVS · I · REX · ETR ·
FECERAT · IMPERIO · DIGNVM · CVI · TANTA · DEDISSET
NATVRA · ET · FORMAE · MVNERA · ET · INGENII
SVBRIPVIT · CITO · MORS · TVSCIS · NON · MIROR · ADEMPTVM
SIC · ET · MESSORES · OPTIMA · PRIMA · SECANT ·

III.

Florentiae ad effigiem Reginae ab eodem elaboratam.

M · ALOISIAE · INF · HISP ·
REGINAE · ETRVRIAE · REGNI · ADMINISTRAE
IOS · BELLIVS · REG · STATVARIVS
DEVOTVS · MAIESTATI · EIVS ·

IV.

Florentiae ad effigiem Filii.

CAROLO · LVDOVICO · INF · HISP ·
REGI · ETRVRIAE
IOS · BELLIVS · REG · STATVARIVS
DEVOTVS · MAIESTATI · EIVS ·

V.

Flor. in aedibus Frescobaldiis sub imagine gypsea Archiepiscopi, qui infra scriptus est.

CAIETANO · INCONTRIO · ARCHIEP · FLORENTINO
LAVRENTIVS · FRESCOBALDVS · CANONICVS · METR · VICARIVS · PER · DIOECESIM
AD · MEMORIAM · CARISSIMAE · ANIMAE
ET · VIRTVTVM · BENEFICIORVMQVE · EIVS
QVAM · SAEPISSIME · RECOLENDAM ·

VI.

Marmor Liburni in aede Principe sub imagine Comitis Montauti a Bellio Expressa. Lege Ephem. Tuscas anni 1790. num. 18.

FRIDERICO · BARBOLANIO · A · MONTE · ACVTO · DOMO · ARRETIO
COMITI · EQVITI · STEPHANIANO · CVBIC · AVG · SENAT · FLOR ·
SPLENDIDISSIMIS · SVB · PETRO · LEOPOLDO · PRINCIPE · HONORIBVS
CVM · LAVDE · FVNCTO
PRAEFECTO · VRBI · ET · PORTVI · ORAEQ · MARITIMAE · LIBVRNENSIVM
QVO · CVRAM · AGENTE · LOCA · MAXIMIS · OPERIBVS · COMMODIORA
ET · LEGIBVS · NOVIS · SALVBRIORA · REDDITA · SVNT
VIRO · FRVGI · EDVCATORI · SOBOLIS · SVAE · CVLTORI · AMICITIAE
ATQVE · OMNIS · OFFICII · DILIGENTISSIMO
FORTI · IN · PRIMIS · ET · IN · IPSA · MORTE · ANTE · DIEM · OBEVNDA
IN · EXEMPLVM · CONSTANTI
FRANCISCVS · PATER · FILIO · CARISS · ORNAMENTO · NOMINIS · SVI
P · CVR · A · M · DCC · LXXXIX ·

VII.

Pisis; fuit in Bibliotheca V. C. Angeli Fabronii sub protome ejus a Bellio elaborata, quae nunc in sepulchro Fabronii exposita est (1).

Angeli effigiem vides Fabronis.
Pisani moderator hic Licei
Ejus praepositos, vices, magistros
Ausus per memores referre fastos,
Magnum opus, varium, periculosum,
Totum vix tribus explicavit annis.
Quin vitas hominum eruditiorum
Quotquot bina Italos tulere saecla
Per volumina tredecim digessit (2)
Praeclara, aureola, et Nepotiana.
Verax historicus, gravis, disertus,
Cunctarumque pater suavitatum,
Omnium tulit adprobationem;
Si modo excipias, quod immerentes
Infestus petit usque Jesuitas
Morsu, calcibus, unguibus, flagello.

VI. v. 5. Praefecto etc. *Governatore di Livorno.*

(1) Epigraphe jocolariter a me scripta, jocolariter a viro amicissimo accepta est; nec tamen accusatio, quae hic attingitur, ab ipso neglecta est, ut V. C. Pacchius testatur in ejus vita. V. eum pag. 16. et pag. 60.

(2) Volumina nunc XIX. numerantur: accedit vigesimum de rebus suis.

Qui malis meritis bonam volentes
Vicem reddere, praesulem Fabronem
Ornant ellogio; rogantque, parcat
Morsu, calcibus, unguibus, flagello.

VIII.

Ellogium, quod Sen. Nellius V. C. et Galilaei studiosissimus a me petiit: conscripsi, imagini ejus alicui, puto, subscribendum.

GALILAEO · GALILAEIO · FLORENTINO
NOVAE · PHILOSOPHIAE · CONDITORI
CVIVS · INGENIO · ET · REPERTIS
OMNIS · ANTIQVITAS · VICTA
ET · POSTERITAS · OMNIS · ERVDITA · EST ·

IX.

Hostilii Ellogium rogatu Angeli Fabronii V. C. conscriptum, quod ipse edidit volumine vitarum XVII. p. 391.

ANDREAS · HOSTILIVS · CIVIS · FLORENTINVS · DOCTOR PHYSICORVM · DECVRIALIS · IN · ACADEMIA · PISANA · PER · ANNOS · XX · MAGISTER · DE · SACRA · AVLA · A · PETRO · LEOPOLDO · M · D · DATVS LIBERIS · SVIS · AD · DIALECTIC · ET · METAPHISICEM · ADIVTOR · ALOISIAE MARIAE · BORBONIAE · M · D · AB · RECENSIONE · HISTORIARVM · IDEM POETA · ELEGANS · MATHEMATICVS · SVBTILIS · NVLLIVS · PROPE HONESTAE · DISCIPLINAE · EXPERS · FVIT · SAEPE · IN · COETV · APATISTARVM PROPOSITA · QVAESTIONE · QVAM · QVISQVE · VELLET · ITA · RESPONDIT EX · TEMPORE · VT · EVM · FREQVENS · CORONA · POLYHISTOREM · ET PATRIAE · SVAE · PICVM · CONSALVTAVERIT · IN · AMICITIIS · COLENDIS IN · TVENDA · RE · FAMILIARI · DILIGENTISSIMVS · HABITVS · EST DOCTRINAM · ORTHODOXORVM · INVITA · TEMPORVM · LICENTIA CONSTANS · TENVIT · DEFENDIT · RATVS · PHILOSOPHO · INDIGNVM RATIONI · HOMINIS · AVCTORITATEM · NVMINIS · POSTHABERE · VIX · AN · LXII · OB · PR · NON · SEPT · A · M · DCC · XCVII · CVIVS · EXCESSVM DOMINI · NOSTRI · CLEMENTISSIMI · MOERORE · SVO · HONESTAVERVNT ·

IX. v. 8. Proposita quaestione etc. Vulgo: *il giuoco del Sibillone*.

X.

In Collegio PP. Barnabitarum Utinensi: prostat sub imagine P. Angeli Cortenovis depicta a V. C. Jo. Bapt. de Rubeis. Edidi cum Tusco ellogio Senis optimi impresso Utini an. 1801. quod eodem anno prodiit et Venetiis in Ephemeride Litteratorum.

ANGELVS · MARIA · CORTENOVIS
DOMO · BERGOMO · CLER · REG · A · S · PAVLO
PRAEPOSITVS · HVIVS · COLLEGII · TER
ALIISQVE · IN · EO · MVNERIBVS · NITIDE · FVNCTVS
PER · ANNOS · XXXVII ·
SCRIBA · IN · PERPETVVM · SOCIETATIS · VTINENSIS
REI · RVSTICAE · PROVEHENDAE
VIR · OMNIGENAE · ERVDITIONIS · PROBITATIS · ANTIQVAE
INSIGNIS · IN · DEVM · ATQVE · IN · GENVS · HOMINVM · CARITATIS
MONVMENTA · VETERVM · MIRE · DILEXIT
EADEMQVE · DOCTIS · COMMENTARIIS · ET · LABORIOSIS · INLVSTRAVIT
VIXIT · OPTIMATIBVS · POPVLOQVE · CARISSIMVS
ANNOS · PROPE · LXXIV ·
DEPOSITVS · IV · KAL · MARTIAS · AN · M · DCCC · I ·
QVEM · GRATA · CIVITAS
QVASI · PARENTEM · PVBLICVM · LVXIT ·

XI.

Ad effigiem Onuphrii Boni V. C. Equ. a Petro Landio clari nominis pictore expressam, et Romae in Academia S. Lucae, cujus sodalis est, dedicatam.

ONVPHRIVS · BONVS · PATRIC · CORTON ·
EQVES · S · STEPH · P · M · BENEFICIARIVS
PRAEFECTVS · OPERIBVS · PVBLICIS · PER · ETRVRIAM · EXTRVENDIS · REFICIVNDIS
SCRIPTOR · REI · ARCHITECTONICAE · LAVDATISSIMVS
ALIARVM · QVOQVE · ARTIVM · BONARVM · ET · COMPOS · ET · AVCTOR
QVEM · OB · LVCIANEOS · SALES · AMICI · DILIGVNT
ADVERSARII · METVVNT · RIDENTEM ·

x.v.11. Praecipua hominis doctissimi opera, sed novitati, ni fallor, plus aequo addicti sunt: 1. *Lettera di N. N. sopra una tessera antica, e due conii di monete romane trovate nel Friuli, ed altre antichità.* 2. *Dissertazione: che la platina americana era un metallo conosciuto dagli antichi.* 3. *Sopra una Iscrizione d' Aquileja dissertazione coi disegni di alcune altre antichità.* 4. *Dissertazione epistolare sopra il Cippo di Onesimo riscuotitore de' dazj nell' Illirico.* 5. *Dissertazione sul Mausoleo di Porsena.* 6. *Dialoghi tre dell' Elettricismo conosciuto dagli antichi, ec.*

XII.

Nomisma Atilio Zuccagno V. doctissimo a Raph. Morghen caelatum dicatumque anno 1802.

Altera parte nomismatis vultus.

ATILIO · ZVCCAGNIO · FLOR · PHILOS · ET · MEDIC · DOCTORI
RAPHAEL · MORGHEN ·

Parte altera Minerva Medica ab genio Scalpturae aeris coronata.

OB · VITAM · SERVATAM ·

Inscriptio.

ATILIO · ZVCCAGNIO · FLORENTINO
PHILOSOPHIAE · ARTISQ · MEDICAE · CONSVLTISSIMO
IN · REGIO · PHYSICES · MVSEO
HORTI · BOTANICI · RERVMQ · NATVRALIVM · PRAEFECTO
RAPHAEL · MORGHEN
SCALPTOR · AERE · LINEANDO · IMPRIMENDO
APVD · ETRVRIAE · REGEM
DE · ARTE · SVA · DONVM · DAT
QVOD · PROPE · DEPOSITVS · CONVALVERIT
INGENIO · ET · SEDVLITATE · EIVS ·

XIII.

Inscripta sub imagine V. C. in aula aedium ejus, et Senis vulgata.

GREGORIO · ANTONII · F · RINIERIO · V · C ·

HIC · COLLE · AD · VALLEM · ELSIAM · ORTVS · SENIS · IN · LVDO · AD GEORGII · MARTYRIS · INSTITVTVS · PISIS · LAVREA · CORONATVS · INTER SACRI · CIVILISQVE · IVRIS · CONSVLTOS · ROMAE · EXERCITVS · AD · VSVM FORENSEM · ET · IN · COLLEGIO · XII · VIRORVM · LITIBVS · IVDICANDIS ADIVTOR · A · SECRETO · DICTVS · SPEM · AB · ADOLESCENTIA · OPTIMAM SVI · FECIT · CLARITATE · INGENII · TEMPERANTIA · MORVM · DISCENDI STVDIO · ACRI · ET · LABORIS · PERFERENTE · IDEM · PISTORIENSIBVS QVAESITOR · DATVS · A · FRANCISCO · I · AVG · ET · AB · EODEM · SENIS QVAESITOR · III · VIR · LITIBVS IVDICANDIS · PRAEFECTVS · CONSILII NOSOCOMIIS · MINVENDIS · PROPRAETOR · VRBI · ET · PROVINCIAE REGVNDAE · CONSTITVTVS · EA · MVNERA · BENE · OMNIA · ATQ · E · R · P · GESSIT · AEQVVS · SAPIENSQVE · SVMMIS · INFIMISQVE · PROPTER · INGENIVM MITISSIMVM · GRATIOSVS · SENESCENTEM · ET · VALETVDINE · AFFECTVM P · LEOPOLDVS · M · D · LABORIOSIS · PROCVRATIONIBVS · IMMVNEM · VOLVIT

XIII. v. 6. Adjutor etc. Vulgo: *Segreto della S. Ruota*. *Ibid.* 9. Quaesitor: *Auditor fiscale*.

HONORATVMQVE · AMPLA · IN · OMNE · POSTERVM · TEMPVS · PENSIONE III · VIRVM · LITIBVS · IVDICANDIS · REFECIT · QVO · IN · OFFICIO · PIVS DECESSIT · PRID · IDVS · OCTOBR · AN · M . DCC · LXXXIX · ANNOS · NATVS LXVIII · D · VIII · ET · AD · PROMISCVAM · SEPVLTVRAM · IN · AGRO PVBLICO · DATVS · EST · NONDVM · QVOQVAM · LEGE · LEOPOLDINA EXSOLVTO · NE · QVIS · PRIVATO · IN · SEPVLCHRO · NEVE · INTRA POMOERIVM · CONDERETVR · EIVS · CVRA · ET · INSTANTIA · GENS · RINIERIA AB · ALBERTO · LIPPI · F · LAPI · N · PROPAGATA · IN · POSSESSIONEM PRISTINI · INTER · SENENSES · LOCI · REVOCATA · EST · LITTERIS · IN IVRE · PROLATIS · SVMMI · CIVITATIS · CONSILII · DATIS · XV · KAL · QVINTILES · ANNO · M · CCC · LXXXV · QVIBVS · ALBERTO · PRIVILEGIVM IRROGATVR · OB · PRAECLARA · IN · R · P · MERITA · VT · IPSI · POSTERISQ · EIVS · SVMMOS · IN · CIVITATE · HONORES · CAPERE · LICEAT · QVA · RE MAGISTRATVM · CONSISTORII · SVPREMVM · GREGORIVS · FVNCTVS · EST EO · IVRE · QVO · QVI · OPTIMO · MENSIBVS · MAIO · ET · IVNIO · ANNO M · DCC · LXXVII · HVIC · CATHARINA · ROCCHIA · VXOR · ET · ANTONIVS RINIERIVS · FILIVS · OB · DOMESTICAM · DIGNITATEM · DILIGENTIA RESTITVTAM · VIRTVTE · AVCTAM · IMAGINEM · CVM · ELLOGIO · P · C ·
AN · M · DCCC · V ·

XIV.

In Mustoxidis Corcyrensis Historici imaginem a Piero cive elaboratam.

Οὗτος τίς; Μυσοξίδης. Τίς γέγραφε; Πέτρος·
    Ἄνθεα Κόρκυρας πάτριδος ἀμφότεροι.
Τίς δέ κεν ἠιθέους ἐδίδαξε μαθήματα τοῖα;
    Ζωόγραφον Ῥώμη, ἱσορικὸν Παπία.
Καὶ θέμις, Ἰταλίαν ἀναδοῦναι Ἕλλαδι τέχνας,
    Ἐξ ἧς παντοίην ἔσχε διδασκαλίαν (1).

Quis iste? Mustoxides. Quis (eum) pinxit? Pierus,
    Flores Corcyrae patriae ambo.
Quis autem Juvenes docuit facultates ejusmodi?
    Pictorem Roma, historicum Papia.
Et aequum (est) Italiam reddere Graeciae artes,
    A qua omnem habuit doctrinam.

(1) Multa etiam a Tuscis didicit Italia, uti nauticam, in qua Dionysio Halicarnassaeo teste, etiam Graeciam erudiit, et porticus vel atria, quae ab Hadria, sive, ut antiqui loquebantur, ab *Hatria* urbe didicit: sed quid haec ad elegantiam, quae in poematibus, in historiis, in statuaria, in pictura elucet? quam elegantiam a Graecis Italia didicit.

APPENDIX

Hendecasyllabi honori Annae Pieriae C. F. quum nuberet Julio Brignolae V. C. editi Senis in collectione cum elegantissima versione V. Er. Doct. Thaddeii Academici Rudis anno 1783. (1)

Vere Pieris es, tibique forma,
Mores, ingenium indidere nomen,
Digna Pieridum choro Puella,
Seu vis ad numerum vibrare chordas,
Seu vis ad numerum pedes movere,
Seu discrimina per notasque vocum
Plena versiculos ab arte cantas.
Te Gallus stupet, et Britannus hospes
Illis dum similem refers loquelam,
Innatamque Italis negant in oris.
Te civis stupet ut videt loquentis
Sensum, consilium, eruditionem;
Nec credit sibi, seque reprehendit
Quod tuos male computarit annos.
O Juli Liguris decus juventae
Nullis Juli atavis minor future,
Ignosco tibi, perdiu quod absens,
Et terra simul obsitus, marique,
Hanc unam tamen expetis puellam;
Quam postquam in thalamum, et domum vocasti,
Unam Pieridum domum vocasti.

(1) Feci in gratiam praesertim Alfonsi Marsilii V. C., avunculi puellae, cui in ejus institutione magna pars erat referenda. Is est ille Alphonsus, qui Pontifex Senensium postea dictus, et a nobis celebratus, ingens sui desiderium reliquit. V. pag. hujus operis 27.

CAPUT IX.

CONJUNCTIONES, CIVITATES, HOSPITALITATES, AMICITIAE.

I.

In Collegio Canonicorum in Monte Ulmi, quae et Pausulae Firmanae Dioecesis.

STEPHANO · NOBILI · MONTVLMIENSI
EX · ORDINE · DECVR · MVNICIPII · SVI
PRAEPOSITO · PAROECIAE · PRINCIPIS · APOSTOLORVM · PER · AN · LII ·
PRAEPOSITO · COLL · CANONICORVM · IVDICI · FORI · PONTIFICII · VICARIO
CVIVS · PRAESERTIM · OPERA · ET · INSTANTIA
ET · GRANDI · AERE · CONLATO
HOC · TEMPLVM · A · FVNDAMENTIS · IN · AVGVSTIOREM · FACIEM · REFECTVM
VASIBVS · ARGENTEIS · OMNIQ · INSTRVMENTO · ORNATVM
ET · COLLEGIO · INSIGNI · CANONICORVM · XX · DECORATVM · EST
IDEM · TEMPLO · FVNDOS · TESTAMENTO · LEGAVIT · EX · QVORVM · REDITV
MAGISTER · AD · HONORES · CAELITVM · CANTV · CELEBRANDOS
CONDVCERETVR
ET · IVVENES · ALIMENTARII · DVO · IN · SEMINARIO · CLERICORVM
ALERENTVR
VIR · ANTIQVAE · PROBITATIS
DOMI · PARCVS · IN · EGENOS · ET · IN · REM · PVBL · LARGVS
CVM · SVMMA · AVCTORITATE · MODESTISSIMVS
ET · CVM · SVMMA · FACILITATE · CONSTANTISSIMVS · HABITVS · EST
VIX · AN · LXXXIII · DEC · A · M · DCC · LXXXI ·
COLLEGIVM · CANONIC · PARENTEM · OPT · ET · B · M · PINGENDVM · CVRAVIT
ALOISIVS · LANZIVS · MATRIS · SVAE · AVVNCVLO
ELLOGIVM · ADDIDIT ·

II.

Quum misissem Libros, queis titulus: Saggio di Lingua Etrusca, e di altre antiche d' Italia *publicae Icuvinorum Bibliothecae, hoc diplomate honestatus sum, quod elegantissime conscripsit V. C. Sebastianus Ragnaschius, decur. Eugubinus.*

PRIDIE · NONAS · MAII
ANNO · XVI · SACRI · PRINCIPATVS
PII · VI · PONT · MAX ·
ICVVII · IN · CVRIA · ORDO · QVVM · CONVENISSET · VERBAQVE · FACTA ESSENT · DE · GRATIA · REFERENDA · ALOISIO · LANTIO · V · C · INTER ETRVSCOS · SODALES · CORTONENSES · ADLECTO · ET · APVD · PETRVM LEOPOLDVM · AVSTRIACVM · REGEM · BOHEMORVM . HVNGARORVMQ · AC MAGNVM · ETRVRIAE · DVCEM · PRAEFECTO · MONVMENTIS · VETERIBVS INLVSTRANDIS · CVIVS · INGENIO · ET · LABORE · SACRA · PRISCORVM

IKVVINORVM · QVAE · IN · TABVLIS · AENEIS · RVDI · EORVM · LINGVA INCISA · FVERE · TANDEM · PERSPICVA · INTERPRETATIONE · CVNCTIS DETECTA · SVNT · DE · EA · RE · VNIVERSI · ITA · CENSVERVNT

QVVM · RECTE · MAIORES · NOSTRI · ET · PATRIAE · ORNAMENTO · ET · SIBI LAVDI · ESSE · PVTARINT · SI · VIRIS · DOCTRINA · VIRTVTEQVE SPECTATISSIMIS · ATQVE · DE · RE · PVBLICA · OB · ALIQVOD · IN · EIVS GLORIAM · SCRIPTVM · OPVS · OPTIME · MERITIS · ADITVS · IN · HVNC ORDINEM · PATERET

QVVMQVE · ALOISIVS · LANTIVS · V · C · NOBIS · DONO · DEDERIT · AVREA VOLVMINA · IN · QVIBVS · VETVSTISSIMAS · HASCE · TABVLAS · IKVVINAS TRANS · ALPES · ET · MARE · ETIAM · CELEBERRIMAS · INTERPRETATVS SIT · AVSV · PLANE · FELICI · AC · DE · AMPLIORI · IN · EAS · QVOQVE COMMENTARIO · SPEM · PRAEBVERIT · AD · CLARIVS · CVNCTIS · DETEGENDA SEMENIA · DECVRIALIA · PRO · DENIS · FAMILIIS · POMPERIIS · AC · FERIAS VRNARVM · PLENARVM · SACRAQVE · OMNIA · FRATRVM · ATERIATIVM PRO · IOVINA · TRIBV · ET · TOTA · IKVVINA · GENTE

PLACERE · HVIC · ORDINI · VT · OB · TANTA · IN · HANC · REM · PVBLICAM MERITA · IN · DECVRIONVM · NVMERVM · COOPTETVR · VTIQ · DECRETVM EIVS · REI · CAVSSA · CONSCRIBATVR · EIVSDEMQVE · MITTATVR · AD · EVM EXEMPLVM · QVO · GRATIVS · DIGNE · HONOREM · SIBI · CONLATVM LIBENTI · ANIMO · SVSCIPIAT ·

MARINVS · MARINIVS · VEXILLARIVS · IVSTITIAE · CENSVERVNT · OMNES ·

✠ LOCVS · SIGILLI ·

ANTONIVS · NICOLAVS · TEIVS · SCRIBA · ORDINIS ·

Respondi, ut par erat; ejusque epistolae sensa latine conversa, et ampliata subjicio.

Vexillario et Prioribus Eugubinis VV. Clar. Nobilissimisque

Aloisius Lanzius Sal. P. D.

Praeclare facitis Viri Clarissimi, Nobilissimique, quum optime de Re Publica meritos homines in curiam vestram adoptatis; civesque eos maxime adpetitis, qui virtute et litteris clarent. Fuit hoc profecto Graecis perfamiliare, ea praesertim aetate, qua sophistarum nomen erat nobile (1), additumque decus videbatur iis urbibus, qui eos cives expetiissent. Verum quid in me dignum tali honore reperiatis non intelligo, nisi forte vos movere in vulgus editi libri, in quibus et vestrae urbis et tabularum vestrarum mentio mihi incidit peropportuna; quod ipsum mihi perutile, et beneficio vestro longe inferius est. Non enim Maffejum aliquem, aut Oliverium, aut Passerium participem facitis, uti olim, nobilitatis vestrae, quae privilegiis plerasque urbes antecellit (2), sed hominem nulla in-

(1) V. in Numismata Aerea majoris moduli Musei Pisani Commentaria pag. 57.

(2) Id est Eugubio peculiare, ut per nundinas Ubaldi Sancti nobiles sibi creent ex eorum coetu Vexillarium Justitiae, cui principatum quemdam per eos dies Roma concedat, adeo ut vel ipsae capitis caussae aut ab eo, aut ab heredibus, si ipse mortuus ante eas judicatas fuerit, decernantur.

genii, doctrinae, fortunae commendatione spectatum, atque unum plane de multis. Sed ut peculiare aliquid in me sit, quod sequi vos deceat in collocanda gratia, gratissimum me spondeo fore vobis, Patriaeque vestrae, quam etiam meam licet appellare. Hujus rationes esse meas putabo; hujus decus in omni vita decus putabo meum; hujus in me beneficium memoria colam sempiterna (1). Valete.

Ex Noceriae balneis XIV. Kal. Septembris 1791.

III.

Ad Vexilliferos et Priores Montis Ulmi V. C. quum opusculum ad eos mitterem de conditione situque Pausularum; quod ab Ex. V. Ab. Colutio inter Antiquitates Piceni recusum est Tom. XV. pag. 109. Epistola lat. conversa et aucta.

Caeteras omnes caritates patriae cedere caritati, id ego et in M. Tullio legeram, et in me ipso expertus fueram. Quare quum auctoritate vestra, P. P. clarissimi, excitatus sum ad communis patriae origines illustrandas, mirum quantum studii in eam rem contulerim, quantum sedulitatis. Movebat me vestra etiam diligentia in amplissima mihi supellectile comparanda. Etenim ob eam rem Petrum Paullum Torellium omnis antiquae scripturae peritissimum accivistis; eidem publicum tabularium, quod superiorum temporum negligentia in tenebris, situque jacebat, illuminandum, atque ordinandum tradidistis; adnotastis in eo chartas, quae Pausularum (2), aut adsimilis eis nominis commemorationem praeseferrent; Josepho Foglietto Comiti viro praestanti negotium dedistis, ut quam saepissime ad me scriberet, absentemque a sedibus vestris, non secus ac si praesens essem condocefaceret. Hisce ego, aliisque adjumentis quantum profecerim, vestrum erit, PP. amplissimi, judicare, quum ea legeritis, quae in libello *de conditione et situ Pausularum*, quem ad vos mitto, comprehendi. In quo siquid inveneritis quod a scopo institutoque meo videatur aberrare, quaeso, obtestorque vos ut rei difficultati, et tenuitati ingenii mei, minime vero remissioni amoris in patriam mei id assignandum putetis. Valete.

Florent. idibus Maiis 1792.

(1) Quod in opere me praestiturum speravi, nempe ut semenia Decurialia veterum Eugubinorum, et alia quaedam meliori in lumine collocarem, id tentanti mihi saepe numero, non successit; eo quod verba non satis repetita essent, e quorum collatione sensus totius periodi elicitur.

(2) In chartis Saeculi praesertim XIV. occurrit saepe *Posola*, *Posole* etc. Unde argumentum elicitur, eos agros ad Pausulas olim pertinuisse.

IV.

Bassani in aedibus Barth. Gambae hospitis.

BARPTHOLOMAEO · GAMBAE · BASSANENSI
COMITVM · REMONDINIORVM · ALVMNO
BONO · EORVNDEM · ET · AMICORVM · COMMODIS · NATO
BIBLIOPOLAE · ERVDITISSIMO
APVD · QVEM
SVSPENSA · METV · BELLI · ITALIA
AN · M · DCC · LXXXXIIII ·
PACATISSIME · HOSPITATVS · SVM
MENSES · IV · DIES · VIII ·
ALOISIVS · LANZIVS
INTERPRES · VETERVM · MONVMENTORVM · M · D · E ·
CONTVBERNIO · EIVS · CONTRA · VOTVM · AVVLSVS
AMICO · SVAVISSIMO · ATQVE · INCOMPARABILI
GRATIAM ·

V.

Utini perscripta Operi de Pictura Italiae, quod PP. Barnabitis hospitibus dedimus.

SODALIBVS · A · S · PAVLO
QVORVM · COLLEGIVM · VTINI · EST
OPTIME · DE · ERVDITIONE · DEQVE · RELIGIONE · CIVIVM
MERITIS · ET · QVOTIDIE · MERENTIBVS
ALOISIVS · LANZIVS
INTER · BELLI · TERRORES · TVTISSIMO · EORVM · HOSPITIO · EXCEPTVS
ΞENION
AD · DECLARANDAM · VOLVNTATEM · SVAM
ERGA · SINGVLOS · VNIVERSOSQVE ·

VI.

Utini: Inscr. in Defensione Alphabeti Etrusci.

BIBLIOTHECAE · COMITVM · BELLOGRADIORVM
VT · QVAE · A · DOMESTICIS · SCRIPTIS · ORNATISSIMA · EST
OPVS · QVALECVMQVE · HOSPITIS · NE · DESIDERET
ALOISIVS · LANZIVS ·

VI. v. 2. Jacobi Bellogradi e Soc. Jesu, qui ea deleta domum se recepit, tot extant praeclara opera, quae ad Mathesim, ad Philosophiam, ad amoeniores litteras pertinent, ut et enumerare perdifficile sit. V. Carolum Bellogradum Comitem et Ecclesiae Utinensis Primicerium in elegantissimo Commentario *della Vita e delle Opere dell'Ab. Co. Jacopo Belgrado*; scripsit eodem stylo alias lucubrationes. Alphonsus Comes fratris filius orationes aliquot in laudem clarorum virorum ita texuit, ut ea familia, in qua natus atque altus est, dignissimum se probarit.

VII.

Romae ad Cajetanum Marinium Cubicularium Pii VII. et Praef. Tabulariorum S. Sedis, et Propraef. Bibl. Vaticanae, quum libellum de Religione Cordis Iesu ei mitterem.

Quaeris post codices profaniores,
Quos olim edidimus, quod hoc libelli
Velit cum titulo pio atque sancto?
Nimirum senio gravor, Marini,
Et vita propere exiturus, opto
Portum pacificum mihi parari.
Salve cor Domini Deique Jesu,
Tu portus mihi post pericla vitae,
Tu mihi hospitium, et bonus recessus.
De te scribere, te recogitare
Tam gratum mihi, quam fertur Noecho
Celsos Armeniae fuisse montes,
Ubi a fluctibus et poli ruina
Vix tandem vaga conquievit arca.

VIII.

Ad Urbem Veterem: quum libellum de divina Eucharistia donum mitterem.

BARPTHOLOMAEO · DRACOPOLEO
CANONICO · VRBEVETANO
VIRO · PIENTISSIMO · ET · DIVINARVM · LITTERARVM
PERITISSIMO
ALOISIVS · LANZIVS
LIBELLVM · AD · CVLTORES · EVCHARISTIAE · INFORMANDOS
PIGNVS · VETERIS · AMICITIAE
FLORENTIA · DONVM · MITTIT ·

IX.

Pistorium: quum librum de vasis antiquis depictis donum mitterem.

THOMAE · PVCCINIO · PISTORIENSI
VIRO · PATRICIO
EQV · S · STEPHANI · P · M ·
PRAEFECTO · MVSEI · MEDICEI
COGNITORI · ANTIQVITATIS · ET · PICTVRAE · PRAESTANTISSIMO
ALOISIVS · LANZIVS
OPELLAM
DE · VASIS · VETERVM · DEPICTIS
AMICO · IVDICI · PATRONO
D · D ·

LIBER TERTIUS

PRO MANIBUS PIIS.

CAPUT I.

FVNERA VIRORUM PRINCIPUM APPARATIORA.

I.

Florentiae. Exposita cum duabus sequentibus ad S. Felicitatis M. in exequiis Jos. II. Aug. Earum apparatus, uti Florentinarum hujus capitis ceterarum ab Josepho del Rosso Archit. Regio commemorabilis famae profectus est, cum his titulis descriptus in ephem. Tusc. an. 1800. n. 13. In aedis fronte titulus fuit.

IMP · CAES · IOSEPHO · II · AVSTRIACO
REGI · HVNGARIAE · ET · BOHEMIAE · PIO · AVGVSTO
FRATRI · PETRI · LEOPOLDI · REGIS · D · N · INDVLGENTISSIMI
OPTIMO · FORTISSIMOQVE · PRINCIPI
DOMVS · AVGVSTA
CVM · SENATV · P · Q · FLORENTINO · IVSTA · PERSOLVIT
QVICVMQVE · INGREDERIS
ANIMAE · MERENTISSIMAE
PACEM · SVPERVM · ADPRECARE ·

II.

In basi Sarcophagi januae adversa.

IMP · CAES · IOSEPHO · II · AVSTRIACO
REGI · HVNGARIAE · ET · BOHEMIAE · PIO · AVGVSTO
CVIVS · OPERA · IMPERIVM · AVSTRIACORVM
LYCEIS · SCHOLISQVE
SVPRA · EXEMPLA · SVPERIORVM · PRINCIPVM
EXCVLTVM
PLVRIBVSQVE · LEGIONIBVS
ET · NOVARVM · ARCIVM · MVNIMENTIS · PROTECTVM
PROVINCIARVM · ETIAM · ACCESSIONE
PROPAGATVM · EST
QVI · TVRCICO · BELLO · MVLTIS · OPPIDIS · EXPVGNATIS
ALBAQVE · IPSA · GRAECORVM · QVAE · CAPVT · BELLI
ERAT · RECEPTA · VICTOR · LIBENS · PIVS · DECESSIT
X · KAL · MARTIAS · AN · M · DCC · LXXXX ·
FECIT · DOMVS · AVGVSTA
HONORIS · PIETATISQVE · CAVSSA · OPTIMO · PRINCIPI
ALTORI · EGENORVM · PATRONO · ARTIVM · OPTIMARVM
AMPLIATORI · CIVIVM · CVI · EVROPAE · VRBES
PLVRIMAE · ET · MAXIMAE · QVAS · PRAESENS · INVISIT
SVMMI · INGENII · SVMMAEQVE · HVMANITATIS
TESTIMONIVM · TRADIDERVNT ·

III.

In aversa basis parte.

Funeream myrthum ne spargite, neve cupressum
Josephi tumulo, ac manibus Austriadae:
Nectite de quercu frondes; hanc ille coronam,
Servatis toties civibus, emeruit.
Addite quas meruit, bellorum praemia, lauros;
Et modo supremam carpsit, et occubuit.

IV.

In Funere Leopoldi II. Aug. ibidem habito. De hoc vide Eph. Tusc. an. 1792. num. 13.
Primus titulus in fronte aedis fuit.

IMP · LEOPOLDO · II · AVGVSTO
REGI · HVNG · BOH · GAL · OPT · PRINC ·
M · D · FERDINANDVS · III · FILIVS
CVM · TOTA · ETRVRIA · SVA
TVMVLVM · HONORARIVM
HOSTIAM · SOLLEMNEM · PIACVLAREM
LAVDATIONEM · POMPAM · FVNERIS
PVBLICE
OB · MERITA · PRINCIPATVS · EIVS ·

V.

Ad lateralem aedis portam interius inter emblemata.

LIBERALITATI · AVGVSTI
QVI · AVLAE · MODESTIA
MAGNOS · SVMPTVS · IN · REM · PVB · ALENS
OPIS · INDIGOS · PER · ETRVRIAM
STIPE · CONGIARIIS · ADFATIM · IVVIT
VRBESQ · TEMPORIBVS · DIFFICILLIMIS
LVE · MOTIBVS · TERRAE · FAME · TENTATAS
GRANDI · PECVNIA · SOLATVS · EST ·

v. v. 6. Senas praesertim intellige, quas lues afflixit anno 1767., et urbem, ut ajunt, S. Sepulcri, quae terrae motibus prope quassata est; et Etruriam totam, quae anno 1766. fame laboravit.

VI.

Idem ad aliam pari modo.

PROVIDENTIAE · AVGVSTI
QVI · TVSCIAM
RE · AGRARIA · ET · COMMERCIIS · AVCTAM
MAGNIFICENTIA · OPERVM · PVBLICORVM
OPPORTVNIOREM · TERRA · MARIQVE
SPECTABILIOREMQVE · REDDIDIT
CVIVS · MVNICIPIA
AEQVATIS · PONDERIBVS · LEGIBVSQVE
OMNIA · VNAM · REM · PVBLICAM · FECIT ·

VII.

Ad januam tertiam.

PACI · AVGVSTI
QVI · QVVM · BELLI · ARTES
OB · HVMANITATEM
PACIS · ARTIBVS · POSTHABERET
GERMANICO · ADMOTVS · IMPERIO
ARMA · SVSCEPIT · INVITVS · VOLENS · POSVIT
BELGICVM · TVMVLTVM · BELLVM · TVRCICVM
PACAVIT
VICTIS · IVS · BELLI · ABSTINVIT
PAX · R · P · EXTREMVS · VITAE · EIVS · ACTVS · FVIT ·

VIII.

Item ad quartam.

VIRTVTI · AVGVSTI
QVI · VIM · INGENII · ET · CVLTVM · ANIMI
DIGNVM · FASTIGIO · SVO · NACTVS
REGIAM · SOBOLEM
DOCTRINIS · MORIBVS · ITA · INSTITVIT
VT · AVSTRIACAE · VIRTVTIS · LAVDEM
IN · CERTAM · NOVI · SAECVLI · SPEM
ETIAM · POSTERIS · PROPAGAVERIT ·

IX.

Exposita Utini in Metropolitana ad basim tumuli honorarii Pii VI. P. M. edita ibidem a Pecile, et Venetiis ad calcem Parentalium PII VI. *post orationem Emin. Brancadorj et titulos Er. Bonj recusa.*

PIO · VI · P · M ·
PRINCIPI · MVNIFICENTISSIMO
PER · QVEM · VRBS · AETERNA · PRISCIS · ARTIBVS · REVOCATIS
AEDIFICIIS · REGIO · MOLIMINE · CONDITIS · ATQVE · EXCVLTIS
ARATIS · PALVDIBVS · VIIS · AD · MVLTA · MILLIA · PASS · MVNITIS
IMAGINEM · IMPERII · PRISTINI · RVRSVS · VIDIT
ANTISTITI · ECCLESIAE · SANCTISSIMO
PER · ANN · XXIV · MENS · VI · D · XIV ·
QVI · SVPRA · CETERAS · DOCENDI · AGENDIQVE · LAVDES
EXILIVM · CVSTODIAM · MORTEM · PEREGRINO · LOCO · ITA · PERTVLIT
VT · ANTIQVAM · PONTIFICVM · CONSTANTISSIMORVM · VIRTVTEM
LONGO · INTERVALLO · REPRAESENTAVERIT
PARENTI · POPVLI · CHRISTIANI · ET · EXEMPLO
PETRVS · ANTONIVS · GEORGIVS · ARCHIEP · VTINENSIS
CVM · COLLEGIO · CANONICORVM · METROP · AEDIS
QVAE · INCOLVMEM · IPSVM · OLIM · EXCEPERAT
IVSTA · FVNEBRIA ·

X.

Exposita Senis item ad aedem Metrop. et in Urbe typis impressa per Cl. V. Ab. Cancellerium in opere de progressu Pontiff. Romm.

PIO · VI · PONTIF · MAX ·
PRINCIPI · OPTIMO · ANTISTITI · RELIGIONIS · CONSTANTISSIMO
OB · ORTHODOXAM · DOCTRINAM · ADSERTAM · CONFIRMATAMQVE
OB · AERVMNAS · FORTITER · HAVSTAS
ET · MORTEM · SANCTISSIME · OBITAM
ITEMQVE · OB · INAVDITAM · OMNIBVS · RETRO · SAECVLIS
ROMANI · PONTIFICATVS · DIVTVRNITATEM
MEMORIAE · AD · POSTEROS · SEMPITERNAE
ANTONIVS · FELIX · ZONDADARIVS · CARD · ARCHIEPISCOPVS
ET · ORDINES · SENAE · METROPOLEOS · VNIVERSI
PARENTI · PVBLICO · HOSPITI · AMANTISSIMO
QVEM · VIVVM · EDITIS · HEIC · OMNIVM · VIRTVTVM · EXEMPLIS
FLENTES · A · SE · AVELLI · VIDERANT
MORTVO · ET · REDVCI
VETERI · CVM · ADFECTIONE · NOVIS · CVM · LACRIMIS
EXEQVIAS
IDIB · FEBRVAR · ANNO · M · DCCC · II ·

XI.

Exposita Florentiae ad aedem PP. Servorum M. V. et ibid. edita cum duabus, quae sequuntur. Vid. Ephem. rerum Univ. anno 1802. num. 94.

FERDINANDO · PRIMO
PHILIPPI · I · DVCIS · PARM · F · PHILIPPI · V · REGIS · CATHOLICI · N ·
BORBONIO · INF · HISP ·
DVCI · PARMENSIVM · PLACENTINORVM · VASTALLENSIVM
OPTIMO · PIENTISSIMOQ · PRINCIPI
ET · CVM · SVMMA · BENIGNITATE · IVSTISSIMO
SACRA · FVNEBRIA
NOMINE · LVDOVICI · I · ETRVRIAE · REGIS · F ·
PRINCIPIS · NOSTRI · INDVLGENTISSIMI ·

XII.

Exposita ibidem ad urnam anteriorem.

FERDINANDO · PRIMO · BORBONIO
I · H · DVCI · PARMENSIVM · PLACENTINORVM · VASTALLENSIVM
HIC · OPTIMIS · ARTIBVS · PER · DOCTISSIMOS · AETATIS · SVAE · VIROS
EXCVLTVS · ADOLESCENS · IMPERIO · MATVRVS · INIIT · PRINCIPATVM
GESSIT · ANNOS · XXXVI · IVSTITIAM · CLEMENTIA · TEMPERANS
DIGNITATEM · COMITATE · INSTITVTIONEM · PVBLICAM · SVPRA · MODVM
CVRAE · HABVIT · CONTVBERNIVM · SOBOLI · OPTIMATVM · EDVCANDAE
SCHOLAS · CETERAE · IVVENTVTI · ERVDIENDAE · GRANDI · IMPENSA
SVSTINVIT · ATHENAEO · PARMENSI · CONDITO · BIBLIOTHECA · VRBIS
LIBRORVM · COPIIS · DITATA · ETIAM · MACHINAS · EXPLORANDIS · NATVRAE
LEGIBVS · QVAS · PRIVATIM · SIBI · EXQVISITISSIMAS · PARAVERAT
PVBLICAVIT · POETIS · CERTAMINA · ITEMQVE · PICTORIBVS · PROPOSVIT
EORVMQ · INDVSTRIAM · AMPLIS · PRAEMIIS · CONSTITVTIS · PER · ITALIAM
ACVIT · ARTEM · TYPOGRAPHICAM . AVSPICIIS · PATROCINIOQVE . SVO
ADIVTAM · ELEGANTIOREM · QVAM · INVENERAT · RELIQVIT · IDEM
RELIGIONIS · AVITAE · CVSTOS · ADSERTOR · IN · EXEMPLVM · FVIT
CHRISTIANAE · PIETATIS · OFFICIA · IMPENSE · COLVIT · AEDEM
COLVRNENSEM · MAGNIFICENTISSIME · AB · INCHOATO · EXTRVXIT
MARMORAVITQVE · EANDEMQVE · ALIASQ · COMPLVRES · SVIS · DONARIIS
SVMPTV · MAXIMO · ORNAVIT · IPSE · CVLTV · MODICVS · ADITV
FACILIS · INGENIO · MISERICORS · CALAMITATIBVS · POPVLI · COMMVNIBVS
PRIVATISQVE · ITA · SVBVENIT · VT · OMNIVM · ORDINVM · CONSENSV
PARENS · PVBLICVS · APPELLATVS · SIT · CELERI · MORBO · INTERCEPTVS
MORTEM · LIBENS · LAETVS · OPPETIIT · VII · ID · OCTOBRES
ANNO · M · DCCC · II ·

XIII.

Ad posteriorem urnam.

Haec, Fernande, tibi, funebria dona sepulto
Mittit ab extrema Filius Esperia.
Ipse quidem, quum nigra patrem superadstitit hora,
Non potuit nati fungier officiis.
Non licuit coram morientis ab ore supremum
Audire, et moesta voce referre vale;
Lumina nec pressit Tibi rite, nec ultima dextrae
Oscula cum multis mixta dedit lacrymis.
Quod superest, caro cineri quos debet honores
Reddit, et haec prisco more piacla parat.
Ut, tibi siqua manent veteris vestigia labis,
Eluere, et Caeli templa subire queas.
Sed frueris Caelo potius, nam sede piorum
Non potis est pietas tanta carere diu.

XIV.

Expos. cum sequentibus III. Liburni ad Ecclesiam Principem. Prima ad faciem aedis. Impressa cum aliis ib. ap. Georgium post laudationem V. C. Francisci Sproni Equ. S. Stephani.

LVDOVICO · PRIMO · INF · HISP · REGI · ETRVRIAE
QVI · OB · VIRTVTIS · INDOLEM · PATRIAMQVE · INSTITVTIONEM
ANTE · ANNOS · MATVRVS · IMPERIO
QVVM · REGNVM · POTITVS · EXEMPLA · SANCTISSIMA
RELIGIONIS · INCORRVPTAE · IVSTITIAE · IMMOBILIS
CHARITATISQVE · CIVIVM
ET · INVICTI · CONTRA · VITAE · CASVS · MORBIQVE · VIM · ANIMI
PROPE · TRIENNIVM · EDIDISSET
LVSTRO · AETATIS · VI · NEDVM · CONDITO
DIEM · SVVM · PIE · CONSTANTER · OBIIT
PRINCIPATVM · INDEPTVS · BREVEM
MEMORIAM · DIVTVRNAM
CIVITAS · LIBVRNENSIVM
PARENTI · PVBLICO · OPTIMO · INDVLGENTISSIMO
QVEM · NVPER · PRAESENTEM
APPARATV · FESTO · PLAVSVQVE · EXCEPERAT
EIDEM · MORTVO · FVNVS · MOERENS · ET · LACRIMAS · DAT
QVISQVIS · ADES · BONAS · EI · PRECES
PRECARE · MENTEMQVE · ADVERTITO
NVLLIVS · MORTALIS · MORS
AVT · FORTVNAM · VERETVR · AVT · ANNOS · NVMERAT ·

XV.

Ad Mausolei, quod machinam vulgo appellant, partem anteriorem, ubi genius Etruriae flens.

LVDOVICO · PRIMO · REGI · OPT · PR ·
QVEM · ETRVRIA · SVA · FLENS · QVAERIT
LIBVRNENSES · PVBLICE
OB · INSIGNIA · EIVS · ERGA · HANC · VRBEM
MERITA ·

XVI.

In lateribus Mausolei.

ORNATORI · MILITIAE
QVOD · COHORTES · CIVICAS
HONESTAMENTIS · ARMORVM
VESTIVMQVE · ADAVCTIS
SPECTABILIORES · REDDIDERIT ·

XVII.

AMPLIATORI · VRBIS
QVOD · NOVO · SOLO
DOMICILIIS · EXTRVENDIS · INDVLTO
MAGNITVDINI · EIVS · ET · COMMODITATI
CONSVLVERIT ·

XVIII.

Exposita Florentiae ad Basilicam S. Laurentii M. cum iis quae sequuntur, et Flor. edita a Cambiasio et Pagano, item Pisis in eph. Litteratorum et alibi. Titulus in fronte aedis.

LVDOVICO · PRIMO
INFANTI · HISPANIARVM · REGI · ETRVRIAE
CAROLVS · LVDOVICVS · I · H · REX · ETR ·
PARENTI · DVLCISSIMO
MARIA · ALOISIA · I · H · REGINA · ETR ·
CONIVGI · INCOMPARABILI
CIVITATES · ETRVRIAE · PRINCIPI · OPTIMO
SVPREMA · ET · LACRIMAS ·

XIX.

Ad lateralem portam ejusdem frontis.

III · KALENDAS · SEXTILES
FERIAE · QVOD · IN · EVM · DIEM · FVNVS · PVBLICVM · LVDOVICI · REGIS NOSTRI · INDICTVM · EST · AD · LAVRENTII · QVI · CONSILIARII · QVI SENATORES · QVI · CORPORATI · EORVM · ORDINVM · QVIBVS · LOCA · PER DESIGNATORES · DATA · CONSTITVTA · SVNT · ATRATI · HORA · EIVS DIEI · IX · CONVENIRE · VELINT · CETERI · ETIAM · QVIBVS COMMODVM · ERIT · CIVES · EXTERIQVE · TEMPLVM · ADEVNTO · PRINCIPI QVI · BENE · QVIBVSCVMQVE · POTVIT · FECIT · BENE · INVICEM ADPRECANTOR ·

XX.

Ad aliam portam lateralem.

III · KALENDAS · SEXTILES
FVNVS · LVDOVICI · REGIS · N · EX · FORMA · FVNERVM · PRINCIPALIVM A · MAIORIBVS · TRADITA · SICVTI · INFRA · SCRIPTVM · EST · A PRIMO · MANE · SACERDOTES · SACRIFICIIS · FREQVENTISSIMIS · PRINCIPI AD · TEMPLI · ARAS · LITANT · CVM · PRIVIS · MINISTRIS · EIDEM HOSTIA · SOLLEMNI · PARENTATVR · PER · PONTIFICEM · MAIOREM ADCINENTIBVS · SYMPHONIACIS · IDEM · PRO · CONCIONE · LAVDATVR METROPOLITA · FLORENT · ET · PONTIFICES · MINORES · IV · TVMVLVM AQVA · ET · THVRE · LVSTRANTES · ET · CARMEN · PRAEEVNTES EXPIATIONES · CONFICIVNT · SINGVLI · SINGVLAS
QVISQVIS · INGREDERIS · LINGVAM · PASCITO
ANIMVM · ADVERTITO
ETIAM · TV · MORTALIS · ES ·

XXI.

In pyramide, uti tres sequentes, intra quam Regis honorarius tumulus videbatur.
In fronte ejus ad portam.

LVDOVICO · I ·
I · H · REGI · ETRVRIAE · OPT · PRINC ·
PER · QVEM · HVIC · IMPERIO · MAIESTAS · AVCTA
PAX · CONSTITVTA · EST
IVSTO · BENEFICO · PROVIDENTI
AMANTISSIMO · CIVIVM
ETRVRIA · QVAE · NIHIL · QVERI · DE · EO · POTVIT
PRAETER · MORBI · VIM
MORTISQVE · IMMATVRITATEM ·

XXII.

In posteriori latere ad Aram maximam.

L V D O V I C O · I ·
I · H · REGI · ETRVRIAE · PIO
TVTORI · RELIGIONIS · AVITAE
IVRIVMQVE · SACRORVM
IVVENI · AD · OMNIVM · VIRTVTVM · EXEMPLA
GENITO
INVICTI · A · CVPIDITATIBVS · ANIMI
SPECTATAE · IN · ADVERSIS · CONSTANTIAE
ETRVRIA · ORNATA · DOCVMENTIS · SANCTISSIMIS
VITAE · EXCESSVSQVE · EIVS ·

XXIII.

Sinistra: ad Simulacrum Religionis

Prodiit Florentiae cum versione italica Eruditissimi Viri N. Luti, qui et sequentem convertit.

Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore Urbium. Prov. XVI.

Heroi da serta tuo, Dea nuntia veri
Relligio; aeteriae certa magistra viae.

Ah valeat quisque heroas modo laudat ab armis,
Et negat intactas sanguine habere manus:

Sed numerat quot quisque neci demiserit hostes;
Ceperit aut urbes, prorueritque solo.

Fortior ille mihi est, humanae taedia vitae
Invicto siquis pectore ferre valet;

Quique tenax recti semper, servator et aequi
Ipse suis ponit jura cupidinibus.

Talis eras Lodoice. Padus mihi testis, Iberus,
Quique tibi placidis paruit Arnus aquis.

His te Relligio meritis heroa salutat,
Et Divum Caelo consecrat Indigetem.

Perge Dea, et tumulum victura fronde corona.
Nulla est muneribus dignior urna tuis.

XXIV.

Dextera: ad Spei Sanctae simulacrum.

In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo. Prov. XXIII.

Hunc cinerem servo Spes aevi sancta futuri:
Gestorum Regis pars ego magna fui.

Illius haerebam lateri; semperque monebam:
Vita fugit; Pietas praemia longa feret.

Profeci quantum! Vitam post puriter actam
Supremum Juvenis quam bene carpsit iter!

Mors aderat, fessos quatiebat anhelitus artus;
Pallebant alto frigida membra toro;

Qualis ubi violae nimbo depressus humi flos
Squalet languidulis decolor in foliis.

Urbs trepidat, luctu miscetur Regia: Princeps
Solator tantis questibus unus erat.

Interdum spectatque Polum, laetusque salutat;
Solvitur, et placido risus in ore manet.

Discite qui metam cuncti properatis ad unam:
Spem facilem moriens, qui bene vixit, habet.

Multae praeterea Etruriae Urbes suis titulis exequias Regis amantissimi honestarunt; quos heic opportuno in loco referremus, nisi ingens eorum numerus librum nostrum facturus esset longiorem. Ceterum fatemur typis digniores hisce nostris fuisse; idque eo libentius fatemur, quod scimus, nostras zelotypiam in nescio quo homine commovisse: quam zelotypiam, seu quo alio mitiori nomine appellanda sit, libello edito publicavit.

CAPUT II.

FUNERA FEMINARUM PRINCIPUM SOLLEMNIORA.

I.

Florentiae ad Basil. S. Laurentii expositae anno 1781. *in funere M. Theresiae Aug. ibidemque editae in libello*: Le solenni esequie fatte nella mattina de' 7. Feb.
Quarum apparatus fuit Zenobj del Rosso V. Er.
Titulus ad mediam et praecipuam templi portam fuit

MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
IMP · CAROLI · $\overline{VI}$ · F · IMP · LEOPOLDI · N ·
IMP · FERDINANDI · $\overline{III}$ · PRON · IMP · FERD · $\overline{II}$ · ABN ·
IMP · FRANCISCI · CONIVGI
MATRI · IMP · IOSEPHI · $\overline{II}$ · AVG ·
REGINAE · HVNGARIAE · ET · BOHEMIAE
ARCHID · AVSTRIAE · M · D · E ·
PETRVS · LEOPOLDVS
AVGVSTI · FRATER · M · D · E ·
PARENTI · OPTIMAE
IVSTA · PERSOLVIT ·

II.

Ad portam dexteram exterius.

MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
MATRI · PRINCIPIS · NOSTRI
QVISQVIS · INGREDERIS
INTER · SACRA · PARENTALIVM · FVNEBRIA
ANIMAE · BENEFICENTISSIMAE
BENE · PRECARE ·

III.

Ad portam laevam exterius.

MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
QVISQVIS · INGRESSVS
LAVDATIONEM · AVDIES · TITVLOS · LEGES
AETERNITATEM · NOMINIS · VIRTVTE · PARTAM
ANIMAE · BEATISSIMAE
GRATVLARE ·

IV.

Ad easdem portas interius.

FVNVS · AVGVSTAE ·

Non tibi, quod noster superaddat fletus honorem,
Quae lacrymas ipso a Principe mater habes;

Sed ne tot laudesque tuas, et pignora amoris
Dilapsa e nostro forte putes animo,

Hos gemitus, lacrymasque tibi, Regina, sepultae,
Haec memores saltem reddimus officia.

Hinc tibi lugubres Florentia sumit amictus,
Deseruit Patres purpura, gemma nurus.

Flent etiam atrato moerentia pariete templa,
Cupressu, et nigra veste adoperta fores.

Sola Theatra silent, graditur per compita luctus,
Assiduis torpent pectora maestitiis.

Interea, dum triste micant longo ordine taedae,
Triste quid in summis turribus aera sonant.

Dum patrum de more tibi sollemnis ad aras
Victima justificos conciliat superos,

Dum tumulum jam lustrat aqua, jam thura Sacerdos
Ingerit, et carmen funebre voce praeit;

Optamus superum patriam tibi, seu potius Te
Evectam superum credimus in patriam.

V.

APOTHEOSIS · AVGVSTAE ·

Quod mihi funeream ducis, Florentia, pompam,
Et suprema paras munera ad inferias,

Id Regina probo: cineri nam grata rependis,
Quae tibi contulerat, pignora, noster amor,

Sed lacrymas, gemitumque veto. Meliore superstes
Parte mei volito viva per ora virum.

Nec Fama antiquas mihi praetulit Heroinas
Ingenio, forma, sanguine, conjugio.

Austriadum titulos servavi Foemina. Quanta est
Parta mihi belli gloria, quanta domi?

Et cuiquam miseranda puter? Quin addita Divis
Nuper, inexpleta gaudia mente bibo.

Huc me dia Fides, huc Spes non vana futuri,
Huc geminam quassans lampada sanctus Amor,

Virtutumque cohors deduxit cetera; queis me
Praebueram parva a virgine morigeram.

Quod pia, quod fida in socios, quod lenis in hostes,
Jura quod omnimodis civibus aequa dedi,

Quodque inopes miserata, opibusque et voce levabam
Publica praeclaro nomine dicta parens;

Artibus his mihi parta quies; Fortuna beatas
Nulla facit; meritis regia nostra patet.

Fabula priscorum est subvectas alite picta
Augustas Coelo protinus ire deas.

VI.

Ad Mausolei latera: inscriptiones IV. ex annalibus et numismatibus Feminae Augustae dicatis depromptae.

MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
INVICTAE · FELICI · MATRI · CASTRORVM
CVIVS · CONSILIO · AVSPICIISQVE
ET · COPIIS · ADMIRATIONE · MAGIS · VIRTVTIS · EIVS
QVAM · IMPERIO · COACTIS · DOMVS · AVGVSTA
A · POTENTISSIMIS · POPVLIS · BELLO · PROPE · INERMIS · TENTATA
DITIONEM · AVITAM · CONSERVAVIT
GLORIAM · COMPLVRIBVS · VICTORIIS · AMPLIFICAVIT
CVIVS · ET · PROVIDENTIA
ARCIBVS · PARTIM · A · SOLO · EXCITATIS · PARTIM · REFECTIS
ORDINE · THERESIANORVM · EQVITVM · AD · REMVNERANDAM
VIRTVTEM · DVCVM · MVNIFICENTISSIME · FVNDATO
MILITVM · CONTVBERNIIS · VBIQVE · EXTRVCTIS
DISCIPLINA · INSTAVRATA · NVMERO · ADAVCTO
RES · AVSTRIACORVM · BELLICA
IN · MELIORE · ET · FLORENTIORE · STATV · EST
ETRVRIA
AETERNO · DEVINCTA · FOEDERE
MAVSOLEVM · BELLI . ORNAMENTIS · INSIGNE
FVNERIS · CAVSSA · DEDICAVIT ·

VII.

MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
MATRI · PATRIAE · BONO · REI · PVB · NATAE
QVAE · OPTIMIS · MORIBVS · ET · SANCTISSIMIS · INSTITVTIS
STATVM · REI · PVBL · ORDINAVIT
LEGES · AGRARIAS · SVMPTVARIAS · METALLICAS
ITEM · DE · PORTORIIS
DE · OPIFICIIS · CIVI · LOCVPLETANDO · VTILISSIMAS · SANXIT
VETEREM
QVAESTIONVM · IVDICIORVMQVE · CAPITALIVM · INCLEMENTIAM
AD · RATIONEM · AEQVITATIS · EMENDAVIT
CVIVS · LIBERALITATE · INDVLGENTIAQVE · FACTVM
VT · PORTVS · TERGESTINVS · MVNITVS
AQVAE · SVBTERRANEAE · AB · HVNGARICIS · FODINIS · AVERSAE
VIAE · MILITARES · STRATAE · OPPIDA · OPERIBVS · EXCVLTA
AEDES
IVVENTVTI · ALENDAE · EDVCANDAE · CONSTITVTAE · SINT
VTQVE · IN · SACRA · VRBE · VINDOBONA · INGENVIS · OMNIBVS · DISCIPLINIS
PARES · IMPERII · MAIESTATI · SEDES · FVNDATAE
IBIDEM · PERQVE · PROVINCIAS
SCHOLIS · AVCTIS · BIBLIOTHECIS · MVSEIS · DITATIS
OMNI · INSTRVMENTO · COMPARATO
PRAEMIO · INDVSTRIAE · PROPOSITO
RES · LITTERARIA · IN · EVM · LOCVM · PROVECTA · SIT
IN · QVO · NVLLIS · RETRO · ANNIS · FVISSET
DE · GLORIA · AVSTRIACORVM · CIVILI · OPTIMAE · MERITAE ·

VIII.

RELIGIONI
MARIAE · THERESIAE · AVG ·
PIAE · APOSTOLICAE
HAEC · COGNOMEN · APOSTOLICVM
AB · S · STEPHANO · IN · HVNGARIAE · REGES · PROFECTVM
EX · AVCTORITATE · PONTIF · MAXIMI
LONGO · INTERVALLO · REVOCATVM
GRATVLATIONE · INDICTA
HONORIBVS · S · STEPHANO · AVCTIS
ORDINE · EIVS · EQVESTRI · IN · MELIOREM · FORMAM · RESTITVTO
AD · POSTERITATIS · MEMORIAM · CONSECRAVIT
EIVSQVE · COGNOMINIS · DIGNITATEM
STVDIO · RELIGIONIS · PROPAGANDAE
LICENTIAE · COERCENDAE
SACRORVM · CVLTVS · AMPLIFICANDI
CARITATE · GENERIS · HVMANI · MAXIMA · ET · BENEFICENTISSIMA
EGREGIE · TVTATA · EST ·

IX.

FELICITATI
MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
MATRIS · AVGVSTI · SOCRVS · REGVM
MATRIS · AVIAE · PRINCIPVM · REGIORVM
HAEC · FOEDERE · ICTO · IN · EA · VERBA
VTI · AVSTRII · BORBONIOS · BORBONII · AVSTRIOS
BELLO · ET · PACE · IVVARENT
QVVM · FILIAS · IV · MATRIS · SIMILLIMAS
MAXIMIS · REGIBVS · AVT · PRINCIPIBVS . COLLOCASSET
FILIOS · ITEM · IV · IN · REGNI · FORTVNAM
DILIGENTISSIME · INSTITVTOS
VIRTVTE · OPIBVS · GLORIA · FLORENTES · VIDISSET
CETERIS · AD · GVBERNACVLA · RERVM · PRIDEM · ADMOTIS
MAXIMILIANO · PONTIFICE · COLON · ET · MONAST ·
NVPER · DESIGNATO
BELLIS · VBIQVE · PACATIS · RE · PVBL · CONSTITVTA
NEPOTVM · SOBOLE
IN · SPEM · GENERIS · LAETISSIMAM · PROCREATA
OMNIVM · VOTORVM · PROPE · EXPERS
NON · TAM · OBIIT
QVAM · FELICITER · EXCESSIT · E · VITA ·

X.

Florentiae propositae ad S. Felicitatis M. in funere M. Aloisiae Augustae, cui adornando praefuit Jos. del Rosso V. Er. atq. editae a Pagano in Ephem. an. 1791. n. 29. Titulus ad porticum.

M A R I A E · A L O I S I A E
CAROLI · III · HISP · REGIS · F · BORBONIAE
IMP · CAES : LEOPOLDI · II · AVSTRIACI
AVGVSTAE · REGINAE · H · B · G ·
ETRVRIA
DOMINAE · INDVLGENTISS · PARENTI · OPTIMI · PRINCIPIS
IVSTA · CVM · LACRYMIS
OB · INSIGNEM · ERGA · CIVES · BENEVOLENTIAM
ATQVE · EDITA · VIRTVTVM · CLARISSIMAR · EXEMPLA
DOMI · FORISQVE ·

XI.

Titulus in fronte aedis.

MARIAE · ALOISIAE · BORBONIAE · AVGVSTAE
OPTIMAE · RELIGIOSISSIMAE
ET · IN · SVMMA · REGNI · FORTVNA · MODESTISSIMAE
PARENTI · EGENORVM · VICTRICI · ANIMI · SVI
EXEMPLO · VETERIS · SANCTITATIS
QVAE · IDIBVS · MAIIS · ELATA · VINDOBONAE · LVCTV · PVBLICO
ET · COMMVNI · POPVLI · CHRISTIANI · PRAECONIO
LAVDATA · EST
M · D · FERDINANDVS · III · FILIVS
E · PEREGRINATIONE · GERMANICA · IN · PATRIAM · REDVX
IVSTA · EXEQVIARVM
NOMINE · SVO · TVSCIAEQVE · VNIVERSAE
BENEMERENTI · PERSOLVIT ·

XII.

Epigrammata inter emblemata varia per parietes collocata.

VITA · AVGVSTAE ·

Qui pudor innuptis, quae nuptis cura suorum
Conveniat, viduo qualis honor thalamo,

Quem foelix fortuna habitum, quem laeva requirat,
Qua superum, atque hominum jura colenda fide;

Omnia siqua volet simul haec condiscere paucis,
Augustae mores discat Aloisiae.

XIII.

FVNVS · AVGVSTAE ·

Dum tumulum struere, et nigro circumdare amictu
Incipit Augustae Tuscia grata suae,

Substitit, et dominae secum pia gesta revolvens,
Ceu facti siquem dispudet, erubuit.

Huic animae, huic, inquit, funebria dona paramus?
Munus Aloisia dignius ara foret.

XIV.

EPITAPHIVM · AVGVSTAE ·

Heic sita Borbonis: bisseptem ad funera matrem
Flebant egregii moribus Austriadae.

Nec minus hanc flebant Dominam Ticinus, et Arnus,
Mincius, et sociis Rhenus, et Ister aquis.

Da lacrymas tumulo, da florea serta, viator;
Qui talem et matrem contegit, et Dominam.

XV.

VOTA · PRO · DOMO · AVGVSTA ·

Proh dolor! atratam tria funera vidimus urbem
Ducere, tres luxit principis una domus.

Parcite jam, Superi, fessis, melioraque posthac
Austriadis cedant fata superstitibus.

Hisce, precor, quodcumque trium dempsistis ab aevo
Reddite, tum multas addite Olympiadas.

XVI.

Inscr. Florent. propositae ad aedem PP. Servorum in funere a Paschale Pocciantio V. Er. M. Amaliae Duci olim Parmensi instructo, atque a Pagano editae ut supra.

Titulus fuit.

MARIAE · AMALIAE
FRANCISCI · I · AVG · F · ARCHIDVCI · AVSTRIAE
VX · FERDINANDI · I · H · DVCIS . PARMENSIVM · PLAC · VAST ·
CAROLVS · ETR · REX · NEPOS
ET · M · ALOISIA · ETR · REGINA · NVRVS
INFANTES · HISPANIARVM · NOVIQVE · ORBIS
FVNVS · BENE · MERENTI
ANTE · DIEM · VI · ID.· SEXTIL ·

XVII.

Pro Mausoleo.

M · AMALIAE ARCH · AVSTRIAE · DVCI · PARMAE
PROCREATRICI · BORBONIORVM · ETRVRIAE · REGVM
PIAE · MAGNANIMAE · BENEFICENTISSIMAE
QVAE · VTRAMQVE · FORTVNAM · BENE · TVLIT
FLORENTINI · CENOTAPHIO · HONORI · EIVS · EXCITATO
QVIETEM · INFINITI · TEMPORIS
COMPRECANTVR ·

XVIII.

Post Mausoleum.

Haec mors, bis denos Phoebe dum conficit orbes,
Rettulit ex una quarta tropaea domo.

Primus obit genitor; sequitur pulcherrima proles
Bina patrem; has matri ducimus exequias.

Occubuit morbo fortissima, quaeque praeiret
Treicias animi robore Amazonidas,

Sin aliter, miserae post funera trina suorum
Debuerat vitam praeripuisse dolor.

Miraberis fortasse, lector amice, hujus et superiotis capitis titulos esse inaequales, neque e dignitate aliquorum Principum putabis esse, eorum laudes brevissime esse perscriptas, quum aliorum quam longissime mores, et res gestae commendatae sint. Nimirum hoc non meae, sed Architecti voluntati assignandum; qui pro loci magnitudine, vel angustiis, item pro ornatus forma, quam sibi proposuit, nunc plures, nunc pauciores, nunc longiores, nunc breviores titulos a me requisivit; cujus obsequi voluntati aequum fuit.

C A P V T III.

FUNERA MINUS SPLENDIDA ET PRECES PRO VITA FUNCTIS.

I.

Florentiae ad aedem D. D. Sacerdotum Missionis.

NVMINI · IESV · CHRISTI · REGIS · REGVM
PRAESENTISSIMO · ET · AD · VENERANDVM · PROPOSITO
LVDOVICVM · Ī · REGEM · ETRVRIAE
EXEMPLVM · CHRISTIANAE · PROFESSIONIS · ET · PRAESIDIVM
PRESBYTERI · CONGREGATIONIS · MISSIONIS
PIE · SANCTEQVE · DEMORTVVM · COMMENDANT
V̄ · KALENDAS · SEXTILES ·

II.

Exposita ad S. Mariae Novellae aedem P. P. Praedic.

DEO · HOMINI · PRAESENTI
COLLEGIVM · P · P · PRAEDIC · AD · MARIAE · NOVELLAE
SVPPLICATIONEM
PIISSIMIS · MANIBVS · EXPIANDIS
LVDOVICI · Ī · INF · HISP · REGIS · ETRVRIAE
OB · PATERNAM · EIVS · FERDINANDIQVE · PATRIS
ERGA · SODALES · HVIVS · ORD · ADFECTIONEM
ET · IN · SOLATIVM · DOLORIS
QVEM · EX · ACERBISSIMO · FVNERE
OPTIMI · PRINCIPIS · PERCEPERVNT ·

III.

Florentiae: exposita ad S. S. Apostol. an. 1793.

ANDREAE · BENVENVTO · PATRICIO · FLOR ·
SACERDOTI · PIENTISSIMO
RECTORI · CVRIAE · AB · APOSTOLIS
CVIVS · DIGNITAS · DESIGNATIONE · AD · SVMMOS · ECCLESIAE · HONORES
SANCTITAS · RECVSATIONE · EORVM · COMPROBATA · EST
PRESBYTERI
QVI · AEDI · APOSTOLORVM · ADPARENT
PRAESIDI · LOCVPLETATORI · ORNAMENTO · EIVSDEM
FVNVS · AERE · CONLATO ·

IV.

Bassani: exposita ad S. J. Baptistae. Ibidem typis vulgata.

IO · BAPTISTAE · MATTHAEI · F · VERCIO
PATRICIO · BASSANENSI
VIRO · PROBO · SCRIPTORI · VOLVMINVM · PLVRIMORVM
QVORVM · EDITIONE · PATRIAE · HISTORIA
ET · MARCHIAE · TARVISANAE · ANTIQVITAS
TOTIVSQ · AEVI · MEDII · MEMORIA · EXPLICATIOR · EST
QVI · DVM · ERVDITIONIS · CAVSSA
CVM · FRANCISCO · DONATO · VIRO · EXCELLENTISSIMO
PRAEFECTO · VENETAE · HISTORIAE · ILLVSTRANDAE · AVGENDAE
PER · AVTVMNALES · FERIAS · PEREGRE · AGIT
RHODIGII · OBIIT · III · KAL · NOV · AN · MDCC · XCV ·
VIX · AN · LVI · M · I · D · XXII ·
NATVRAE · ET . LITTERIS · MODICVM · GLORIAE · SATIS
IOSEPHVS · PERLIVS · COMES · REMONDINIVS
CIVI · OPTIMO · ET · CONTVBERNALI · DESIDERATISSIMO
DEQVE · TYPOGRAPHIA · SVA · OPTIME · MERITO
CVM · TYPOGRAPHIAE · OFFICINATORIBVS
IVSTA · PERSOLVIT ·

V.

Florentiae: exposita ad aedem S. M. Majoris.
Edita in Ephemeride Tuscorum 17. Martii 1804.

PIIS · MANIBVS
IOSEPHI · VESPAE · SENENSIS · V · C ·
OB · ARTEM · PARTVVM · EXCLVDENDORVM
VRBI · ATQVE · IMPERIO · SALVTARIS
MARIAE · THERESIAE · AVGVSTAE
MEDICI · CHIRVRGI · A · PVERPERIIS
EIVSQ · BENEFICIO · LIBERI · BARONIS
ET · EQV · AVSTRIACI
QVI · OBIIT · VINDOBONAE · XI · KAL · FEBR ·
ANNO · M · DCCC · IIII ·
SACRA · PIACVLARIA
ADESTE · QVI · LEGITIS
AVT · PRAETEREVNTES · EI · SALTEM · DICITE
BENE · TIBI · SIT · VESPA
MVLTOS · TV · SERVASTI · QVIBVSCVM
VIVIMVS
ET · TV · CVM · DEO · VIVAS ·

VI.

Exposita Florentiae ad Sodalitatem Eucharistiae semper venerandae. Relata in ephem. 4. Maii 1805.

SODALITAS
EVCHARISTIAE · SEMPER · VENERANDAE
ET · SOCIETAS · PIIS · MANIBVS · SVFFRAGANTIVM
ITEM · COLLEGIVM · SYMPHONIACORVM · DE · VRBE
AB · VTRAQVE · COOPTATVM
SODALICIARIIS SVIS
ANNVA · PARENTALIA ·

VII.

Exponitur Faesulis ad S. Hieronymi quotannis in funere honorario, quod stato die peragitur in subsidium animarum, quae infra scriptae sunt.

QVIETI · SVPERVM · IMPETRANDAE
IOANNI · RICASOLO · EQVITI · STEPHANIANO
PER · FLORENTIAM · VRBEM · PRIORI
ITEMQVE · COMITISSAE · IVLIAE · ACCIAIOLIAE · CONIVGI
LEOPOLDVS · RICASOLVS · ZANCHINIVS · MARSVPINVS
EQVES · PRIOR · IN · PATRIS · LOCVM · SVFFECTVS
ET · HORATIVS · EQVES · STEPHAN · FRATER
OPTIMIS · IVCVNDISSIMISQ · PARENTIBVS
SIBI · INTER · PRIMAE · PVERITIAE · ANNOS
MORTE · PRAEREPTIS
SACRA · ANNIVERSARIA · STATA
VT · QVORVM · FRVI · ADSPECTV · VIX · QVIVERANT
EORVM · MEMORIAM · QVAMDIV · VIXERINT
GRATI · COLANT ·

CAPUT IV.

ELLOGIA, QUAE TUBIS PLUMBEIS INCLUSA, AUT LAMINIS INSCRIPTA CUM MORTVIS CONDUNTUR.

I.

Lamina sub capite Ludovici I. R. E. ad S. Laurentii.

A ✠ Ω

MEMORIAE · ET · CINERIBVS
LVDOVICI · PRIMI · REGIS · ETRVRIAE
INF · HISP · OPTIMI · PRINCIPIS

HIC · PARMAE · ORTVS · III · NON · QVINTIL · AN · M · DCC · LXXIII · GENERE · VTRINQVE · PER · EVROPAM · POTENTISSIMO · ET · MAXIMO PATREM · HABVIT · FERDINANDVM · INF · HISP · DVCEM · PARMAE PLACENT · VASTALLAE · BORBONIVM · PHILIPPI · DVCIS · PARM · FILIVM PHILIPPI · V · REGIS · CATHOLICI · NEP · MATREM · MARIAM · AMALIAM ARCHID · AVSTRIACAM · FRANCISCI · I · AVG · F · CAROLI · VI · AVG · NEPTEM ·

INSTITVTIONEM · FASTIGIO · SVO · PAREM · DOMI · NACTVS · MANSVETIORES LITTERAS · SEVERIORES · DOCTRINAS · ITEM · ARTES · QVIBVS · ADOLESCENTIA PRINCIPVM · AD · MAGNAE · FORTVNAE · CVLTVM · EXCITATVR · FACILE HAVSIT · OB · EGREGIAM · INGENII · VIM · ET · DOCILITATEM · NATVRAE RERVM · INDE · VSQVE · EXPLORATOR · EAM · EXPERIMENTIS · TENTARE EIVSQVE · ABDITIORA · OPERA · FOSSILES · TERRAE · OPES · CORPORA LAPIDESCENTIA · PRIMIGENIAS · METALLORVM · ET · LAPIDVM · FORMAS CONQVIRERE · SOLITVS · APTO · ORDINE · DIGERERE · MVSEO · QVOD INSTRVCTISSIMVM · RELIQVIT · INFERRE ·

FIRMATA · IAM · AETATE · MATRITVM · MISSVS · CAROLO · IV · REGI CATHOLICO · ATQVE · ALOISIAE · MARIAE · REGINAE · FVTVRVS · GENER SISTITVR · SPEM · DE · SE · PRIDEM · IN · AVLA · EXCITATAM · DIGNITATE ORIS · SERMONISQVE · COMITATE · OBSEQVIO · VIRTVTE · PRAESENS AEQVAT · VINCIT · MARIAM · ALOISIAM · INF · HISP · BORBONICI NOMINIS · BONO · NATAM · NVPTIIS · QVAM · APPARATISSIMIS · IN MATRIMONIVM · DVCIT · VIII · KAL · SEPT · IPSO · LVDOVICI · SANCTI GALLORVM · REGIS · FESTO · DIE · ANNO · M · DCC · XC · V ·

MOX · QVVM · BELLI · FORTVNA · ETRVRIAM · NOVO · IMPERIO · VACVAM FECISSET · EAMDEM · CAROLVS · REX · AB · VICTORIBVS · GALLIS REDEMPTAM · LVDOVICO · EIVSQVE · POSTERIS · DAT · DECVS · PRAETEREA LOCO · ADDITVM · VTI · REGNI · NOMINE · IN · POSTERVM · CENSERETVR ITA · IPSE · IN · ITALIAM · REMEANS · REGIS · NOMEN · MVLTIS · ANTEA TEMPESTATIBVS · INTERMISSVM · ETRVRIAE · REFERT · SACRAMENTVM FLORENTIAE · IN · SENATV · DICITVR · POSTRIDIE · KALEND · SEXTILES

I. v. 32. 33. Regis nomen etc. Ab annis circ. MM. CC. vid. Liv. V. cap. 31.

AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{I}$ · SENATVM · OMNESQVE · ORDINES · IN · FIDE · EIVS
FVTVROS · QVOD · POSTERO · ETIAM · ANNO · $\overline{III}$ · NON · QVINT · MAIORI
CAERIMONIA · REDINTEGRATVM · EST ·

VRBEM · DOMINAM · INTROGRESSVS · PRID · ID · SEST · AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{I}$ ·
ET · AD · RERVM · GVBERNACVLA · ADMOTVS · PARENTEM · OPTIMVM
PIENTISSIMVM · VNDE · VITAE · NORMAM · REGNIQVE · DVXERAT
AEMVLARI · ET · REFERRE · VISVS · RELIGIONEM · VETEREM · TVERI
HONORES · SVPERVM · ADIRE · LEGES · FERRE · SALVBERRIMAS · COEPIT
TVSCIAM · NOVAM · PATRIAM · PVTARE · CIVES · OMNI · INDVLGENTIA
DEMERERI · SAPIENTIAM · IN · CONSILIIS · HVMANITATEM · IN
ADMISSIONIBVS · PRAESEFERRE · VT · SI · PER · VALETVDINEM · PERQVE
VITAM · EIVS · LICVISSET · SPES · FORET · OMNIA · PROSPERA · TALIS
PRINCIPATVS · FVTVRA ·

SPEM ·· TANTAM · VOTISQVE · PVBLICIS · SEMPER · ALTAM · MORBVS
COMITIALIS · IN · QVEM · REX · A · PVERO · FVERAT · IMPLICITVS
PAVLLATIM · IN · LVCTVM · VERTIT · RECREARI · TANTISPER · EX · EO
VISVS · ALTERA · IN · HISPANIAM · PROFECTIONE · SVSCEPTA · QVVM
REGIS · SOCERI · ACCITV · ITER · EIVS · PER · REGNI · VRBES · ET
AVSPICATISSIMAS · IVVENVM · REGIORVM · NVPTIAS · FERDINANDI · I · H ·
ASTVR · PRINCIPIS · CVM · MARIA · ANTONIA · FERDINANDI · VTRIVSQ ·
SICILIAE · REGIS · F · ET · PRAETEREA · ALTERAS · FRANC · IANVARII
M · ANTONIAE · FRATRIS · CVM · MARIA · ISABELLA · FERDINANDI · ASTVR ·
SORORE · PRAESENTIA · SVA · SVORVMQVE · IVCVNDIORES · FECIT · SED
ENIM · IN · ETRVRIAM · REDVX · SIVE · CAELI · CONDITIONE · SIVE
NVPERA · PATRIS · AMANTISSIMI · MORTE · CONCVSSVS · QVOTIDIE · IN
DETERIVS · RELABI · ET · PRIMO · PLEVRITIDE · AFFLIGI · AD · EXTREMVM
EPILEPSIA · SVBITO · ICTVS · DIEM · SVVM · OBIIT · $\overline{VI}$ · KALEND · IVN ·
AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{III}$ ·

MORBI · VIOLENTISSIMI · MOLESTIAS · VITAEQVE · IN · IPSO · IVVENTVTIS
FLORE · IACTVRAM · SINE · QVERELA · TVLIT · SVPERSTITES · DICTIS
EXEMPLISQVE · SVIS · ADMONENS · CHRISTIANVM · ESSE · PATI · FORTIA
CAROLVM · LVDOVICVM · F · SVCCESSIONIS · IVRE · SIBI · SVFFICIENDVM
SVPREMIS · ITEM · TABVLIS · HEREDEM · SCRIPSIT · TVTELAM · EIVS
REGNIQVE · ADMINISTRATIONEM · DVM · AD · ANNVM · $\overline{XVIII}$ · REX
ADOLESCERET · MARIAE · ALOISIAE · REGINAE · MANDARI · VOLVIT · QVAE
DESIDERIO · TAM · CARI · CAPITIS · EXTERNATA · INTER · CIVIVM
LACRIMAS · ELATVM · HEIC · EVM · CONDI · IVSSIT · KAL · IVNIIS ·

AVE · PRINCEPS · OPTIME · ET · VALE · IN · PACE ·

II.

Pergamena in plumbeo tubo ad tumulum Caroli Ughii V. C. ad Montem Ughium in aede P. P. Cappuccinorum.

A ☧ Ω

CAROLVS · PHILIPPVS · MARIA · VGHIVS
DOMO · FLORENTIA · HIC · ANNO · MDCCVI · XVI · KAL · DECEMBRES
PATRE · ALAMANNO · EQVITE · STEPHANIANO · MATRE · MARIA · MINERVA
ANDREAE · SENATORIS · F · DEL · ROSSO · ORTVS · EST · SPLENDIDISSIMO
VTRIMQVE · GENERE · PATRE · MATVRE · EXTINCTO · PRIMVM · IN
CICOGNINIANO · TVM · IN · PTOLEMAEIO · OPTIMATIVM · IVVENVM
CONTVBERNIO · AD · PIETATEM · AD · LITTERAS · AD · ARTES · GENEROSO
DIGNAS · PRAECLARE · EXCVLTVS · INEVNTIS · AETATIS · LAVDEM
CVMVLAVIT · VITAE · RELIQVAE · DIGNITATE · RELIGIONI · PLVS · QVAM
FORTVNAE · DECORI · PLVS · QVAM · OPIBVS · SERVIENS · CIVIS · EGREGIVS
PATERFAMILIAS · DILIGENTISSIMVS · AMICVS · CERTVS · VIR · CVM · SVMMA
COMITATE · CONSTANTISSIMVS · HABITVS · EST · ANNOS · NAT · XXV ·
LVCRETIAM · CAESARIS · F · ROTIAM · SANCTISS · FEMINAM · PAREM
FASTIGIO · SVO · CIVEM · IN · MATRIMONIVM · DVXIT · QVICVM
ANNOS · XLVIII · CONCORS · SINE · VLLA · QVERELA · VIXIT · ALAMANNVM
FIL · VNICVM · VGHII · NOMINIS · SPEM · IMMATVRA · MORTE · IN · IPSO
AETATIS · FLORE · SVBLATVM · NVSQVAM · ANIMI · MINOR · TVLIT
MVLTAS · ITEM · VITAE · ACERBITATES · ATQ · IN · PRIMIS · APOPLEXIAM
STVPOREMQ · EX · EA · LINGVAE · ET · CORPORIS · CONSEQVVTVM · ANNIS
PROPE · II · PIE · FORTITER · SVSTINVIT · DECESSIT · XV · KAL · APR ·
ANNO · M · DCC · LXXXIII · HAEREDEM · PATRIMONII · AB · SE · AVCTI
SCRIPSIT · COM · M · MINERVAM · F · QVAM · COM · ALOISIO · LORENTIO
REGIS · GALL · CHRISTIANISSIMI · LEGATO · ANTE · ANNOS · XXXIII ·
CONLOCAVERAT · IN · MONVMENTO · AVITO · HEIC · S · E · CVM · QVO
VNA · VETVSTISSIMA · VRBIS · REGIAE · FAMILIA · SEPVLTA · EST · CVI
STANTE · RE · PVB · ADVOCATORVM · AC · PATRONORVM · COGNOMEN
VT · PERHIBENT · EAM · OB · CAVSSAM · INDITVM · ERAT · QVOD
INTERPOSITA · SACRAMENTI · RELIGIONE · IVRA · MAIESTATEMQVE
FLORENTINI · PONTIFICATVS · VELLET · DEFENDERE · QVAM
PRAEROGATIVAM · ALIQVANDO · LITIBVS · ATTENTATAM · IDEM · IPSE
CAROLVS · MANV · EX · IVRE · CONSERTVS · SIBI · AC · POSTERIS · SVIS
VINDICAVIT :

III.

Pergamena in plumbeo tubo condita cum Cassandra Capponia C. F. in aede S. M. Majoris P. P. Carmelitarum.

A ☧ Ω

HEIC · SITA · EST
MARIA · CASSANDRA · PHILIPPI · SENATORIS
FILIA · CERRETANA · MARSVPINA
HAEC · NATA · VI · KAL · IANVARIAS · ANNO · M · DCC · XXXII · ET · AB
ALEXANDRO · CAPPONIO · MARCHIONE · IN · MATRIMONIVM · DVCTA
AN · M · DCC · XLIX · ANNOS · AB · EXCESSV · EIVS · XV · VIDVA · EXEGIT
ATQVE · IN · OMNI · VITAE · GENERE · SPECTATISSIMA · DIEM · SVVM
OBIIT · PLEVRITIDE · ABSVMPTA · X · KAL · MAIAS · AN · M · DCCC · II ·
EAM · MARIA · THERESIA · AVGVSTA · IN · ORDINEM · FEMINARVM
NOBILIVM · CVI · NOMEN · AB · CRVCE · EST · COOPTAVIT · ET · MARIA
ALOISIA · M · D · INTER · MATRONAS · AB · SACRA · DOMO · ADLEGIT
EVNDEMQVE · APVD · ALOISIAM · M · D · ITEM · APVD · REGINAM · NOSTRAM
LOCVM · OBTINVIT · QVEM · IPSA · ORIS · SERMONISQVE · COMMENDATIONE
ET · SPLENDORE · CVLTVS · ET · MORVM · IN · PRIMIS · DIGNITATE · EGREGIE
TVTATA · EST · EADEM · PRIVATOS · SIBI · INNVMERABILES · DEMERVIT
CIVES · EXTEROSQVE · AMICITIAS · HOSPITALITATES · CLIENTELAS
DILIGENTISSIME · COLVIT · CONSILIO · SVPRA · MODVM · MVLIEBRIS
SEXVS · ORNATA · SIMVLTATES · INIMICITIAS · LITES · PER · FAMILIAS
SAEPE · IN · CONCORDIAM · VERTIT · EGENIS · REM · FAMILIAREM
ROGANTIBVS · LIBENS · DEDIT · LIBENTIVS · LIBERALITATEM · SVAM
VEL · TACENTIBVS · OBVIAM · MISIT · DEVM · DEIPARAM · COELITES
EXIMIE · VENERATA · EST · QVORVM · ETIAM · TEMPLA · ATQ · ARAS
DONARIIS · AVXIT · AETATEM · OMNEM · VIDVITATEM · PRAESERTIM
IN · COELESTIVM · RERVM · STVDIO · TRANSEGIT · SVPPLICATIONES
CONCIONES · SACRA · OMNIA · QVAE · AD · PROCVRANDOS · ANIMOS
PERTINENT · PIA · FREQVENS · AD · EXTREMOS · VSQVE · DIES · ADIIT
EIVS · FVNVS · PAVPERVM · LACRYMIS · ET · CIVIVM · PRAECONIO
DESIDERIOQVE · HONESTATVM · FVIT · SVPRA · CETERA · ORNAMENTA
LVDOVICVS · I · R · E · PRINC · OPT · INDVLGENTISSIMVS · HONORIS
VIRTVTISQVE · CAVSSA · CASSANDRAM · LEOPOLDINA · LEGE · EXEMPTAM
IN · MONVMENTVM · GENTIS · SVAE · CVIVS · POSTREMA · SOBOLES
FVERAT · INTRA · AEDIS · SEPTA · INFERRI · PERMISIT · QVOD · AB · LEGE
LATA · PATRICIORVM · CONTIGIT · NEMINI
AVE · MVLIER · PIENTISSIMA · ET · VALE · IN · PACE ·

IV.

Similis pro V. C. Horatio Puccio condito in Sacello gentis suae ad Mariae ab Angelo salutatae P. P. Servorum.

A ☧ Ω

**HORATIVS · ROBERTVS · AEMILII · MARCHIONIS
EX · LAVRA · BARTOLINIA · SALIMBENIA · MARCHIONISSA · F · PVCCIVS
EQVES · BAIVLIVVS · ORD · TVSCI · STEPHANIANORVM**

HIC · NATVS · FLORENTIAE · VI · IDVS · MAIAS · ANNO · M · DCC · XXX ·
PISIS · ERVDITVS · ET · QVVM · ANNVM · AGERET · QVARTVM · ET
VIGESIMVM · LAVREA · PVBLICE · HONORATVS · EST · INTER · IVRIS
PERITOS · EVMDEM · IN · PATRIAM · REDVCEM · CELEBERRIMAE · VRBIS
ACADEMIAE · SODALEM · COOPTAVERVNT · APATHISTAE · FLORENTINI
COLVMBARII · BOTANICI · ET · QVIBVS · ETIAM · PROMAGISTER · PRAEFVIT
GEORGOPHILI · EORVM · COETIBVS · ITA · INTERFVIT · VT · SVAS · IPSE
COMMENTATIONES · IDENTIDEM · LEGERET · REPERTISQVE · NOVIS
COMMENDARET · ACADEMIAM · QVOQVE · CVI · AB · GRAPHICE · NOMEN
EST · IN · QVAM · ADOLESCENS · FVERAT · ADLECTVS · CONSOCIATASQVE
IN · EA · ARTES · MIRE · DILEXIT · QVARVM · ETIAM · STVDIO · CELLAM
MARIAE · MAGDALENAE · PACTIAE · OPERE · ET · CVLTV · LAVDATISSIMAM
AERE · SVO · DESCRIBENDAM · SCALPTISQVE · LAMINIS · REPRAESENTANDAM
CVRAVIT · ORATOR · A · PETRO · LEOPOLDO · M · D · MEDIOLANVM
ITEMQVE · AD · GENVATES · MISSVS · LEGATIONEM · SAPIENTER · SPLENDIDE
OBIVIT · EOQVE · NOMINE · AB · IMP · CAES · IOSEPHO · II · CVBICVLARIVS
AVGVSTALIS · DICTVS · EST · ANNO · M · DCC · LXV · PRAEFECTVS
CONSILIO · CAVSSIS · PVPILLORVM · COGNOSCENDIS · AB · EODEM · PETRO
LEOPOLDO · DATVS · PRVDENTIAM · FIDEM · SEDVLITATEM · SVAM
PRINCIPI · ET · POPVLO · PROBAVIT · ILLVD · IN · PRIMIS · MEMORABILE
QVOD · SVASV · EIVS · GRAVISSIMA · CIVIVM · DISPENDIA · SVBLATA · SVNT
VETERI · LEGE · ABROGATA · VTI · PVPILLORVM · TVTELA · PENES
MAGISTRATVM · ESSET · EDICTOQVE · VT · ID · MVNVS · MATRIBVS
FAMILIAS · IN · POSTERVM · CEDAT · MAGISTRATVI · TANTVM · IVRISDICTIO
· IN · TVTORES · SIET · EVM · DENIQVE · FERDINANDVS · III · M · D · OB
MERITA · IN · SENATVM · LEGIT ·

VACVVM · AB · OFFICIO · PVBLICO · TEMPVS · AD · HONESTISSIMA · STVDIA
CONTVLIT · IIS · PRAESERTIM · DELECTATVS · QVIBVS · COMMODA
AVGERE · PVBLICA · POSSET · BIBLIOTHECAE · AVITAE · ALTERAM
PHILIPPI · LVCII · IVRISCONSVLTI · INSTRVCTISSIMAM · ADDIDIT · ALIAS
PRAETEREA · LIBRORVM · COPIAS · VNDIQVE · COEMPTAS · EODEM · INTVLIT
DE · RE · RVSTICA · DE · OPIFICIIS · DE · COMMERCIIS · QVAS · RES · TVERI
IN · OMNI · VITA · NVMQVAM · DESTITIT · NERVOS · VRBIVM · VETEREM
COLLIVM · CVLTVRAM · QVOD · MAGNIS · TERRAE · DILAPSIONIBVS
OBNOXIA · ESSET · EMENDANDAM · CENSVIT · NOVAMQVE · INGENIO

SVO · EXTVDIT · QVAM · HODIE · NOSTRATES · VVLGO · TENENT · ET PROBANT · SERICA · SETIS · INTERMIXTA · BRVXELLENSIVM · MORE VT · FLORENTIAE · CONFIERENT · CAPRINVM · GREGEM · ANGOLA AFRORVM · ABDVCTVM · IN · FVNDO · SVO · ALVIT · PONTEM · IN · ELSA FLVMINE · IBIDEMQVE · PISCARIAM · ET · PISTRINVM · FECIT · MOLITIONE INTER · TVSCOS · NOVA · SVMPTV · MAXIMO

BAILEYANVM · DE · OMNI · OPIFICIORVM · GENERE · OPVS · ITALICE · CONVERSVM IMPENSA · SVA · EDIDIT · EO · CONSILIO · VT · COMMVNICATIS · PATRIAE SVAE · EXTERORVM REPERTIS . INDVSTRIA · EIVS · CENSVSQVE · CRESCERET IDEM · FLAMMETTA · GINORIA · MARCH · IN · MATRIMONIVM · DVCTA PATRIS · FAMILIAS · IN · EXEMPLVM · PARTES · IMPLEVIT · CONCORDIA CONIVGII · INSTITVTIONE · LIBERORVM · REI · FAMILIARIS · CVRATIONE FAMVLOS · ITA · BENIGNE · HABVIT · VT · SIQVANDO · ANNONA · VRBIS INGRAVESCERET · EORVM · INOPIAM · AVCTIS · VIRITIM · STIPENDIIS LEVARET · VRBANAE · ITEM · PLEBIS · EGESTATEM · STIPE · CONSILIO OPE · OMNI · SOLATVS · EST · NATVRAE · BONITATE · ET · IMPERIO RELIGIONIS · CVIVS · DOCTRINAM · MORES · SACRA · IAM · INDE · A · PVERO CASTE · INTEGRE · SEMPER · COLVIT

DECESSIT · IV · ID · DEC · AN · M · DCCC · II · DOLOR · BONIS · OMNIBVS LVCTVS · LIBERIS · SVPERSTITIBVS · EX · QVIBVS · FOEMINAS · III · GENERIS · LECTISSIMIS · COLLOCATAS · RELIQVIT · MAREM · ME · VNVM AEMILIVM · QVI · IVSTIS · OMNIBVS · TIBI · PARENS · OPTIME · PERSOLVTIS MEMORIAM · VIRTVTIS · TVAE · COMMENDATAM · POSTERITATI · HISCE LITTERIS · VOLVI · IPSE · GRATO · ANIMO · INSCVLPTAM · TENEO · RETINEBO AVTEM · DVM · ANIMA · SPIRABO · MEA

AVE · PATER · DESIDERATISSIME · ET · VALE · IN · PACE ·

V.

Similis pro Cl. Fem. Aloisia Lorentia: condita Flor. ad P. P. Cappuccinos.

☧

CORPVS CONDITVM

ALOISIAE · LORENTIAE · COMITISSAE
MATRONAE · HONORARIAE · AB · AVLA · REGIA
MAGNARVM · DVCVM · II · AVSTRIACARVM
ET · POST · IMPERIVM · ETRVRIAE · AD · BORBONIOS · TRANSLATVM
MARIAE · ALOISIAE · I · H ·
REGINAE · NOSTRAE · INDVLGENTISSIMAE

HAEC · FLORENTIAE · ORTA · III · KAL . SEXTIL · AN · M · DCC · LVIII · PATREM · HABVIT · ALOISIVM · LORENTIVM · V · CL · COMITEM · EQV · BAIVLIVVM · ORD · S · STEPH · LEGATVM · REGVM · CHRISTIANISSIMOR · AP · M · M · ETRVR · DVCES · MATREM · MARIAM · MINERVAM · CL · F · COMITISSAM · SOBOLEM · VGHIORVM · POSTREMAM · QVI · ADVOCATI · ET PATRONI · FLORENTINI · PONTIFICATVS · AB · REIP · TEMPORIBVS · AD

HANC · VSQ · AETATEM · DICTI · ATQVE · HABITI · SVNT · NVPSIT
FRIDERICO · COMITI · MONTIS · ACVTI · BARBOLANIO · V · EXC · ORD ·
S · STEPH · BAIVLIVO · SENATORI · FLORENT · CONSILIARIO · PRIMI · ORD ·
P · LEOP · ETRVRIAE · M · D · A · QVO · PRAEFECTVS · VRBIS · ORAEQVE
LIBVRNENSIS · DICTVS · EO · IN · MAGISTRATV · DECESSIT · DOLOR
BONORVM · OMNIVM · ANNO · M · DCC · LXXXVIII · AB · EXCESSV · VIRI
ALOISIA · PRAETER · MATERNAM · ETIAM · PATERNAM · LIBERORVM
TOTIVSQ · DOMVS · CVRAM · INCEPTANS · OMNIA · E · DIGNITATE · ATQ ·
E · RE · FAMILIAE · GESSIT · SOBOLEM · INSTITVIT · SANCTISSIME
CENSVM · DILIGENTISSIME · TVITA · EST · INOPES · CALAMITOSOS
CONSILIO · GRATIA · SVBSTANTIA · OMNI · OPE · IVVIT · AB · HOSTIBVS
ARRETIO · POTITIS · NE · IN · SVPPLICES · SAEVIRENT · VTIQ · OBSIDES
REMITTERENT · OBLATO · ETIAM · MVNDO · MVLIEBRI · SVO · FEMINA
VRBI · MEMORABILIS · IMPETRAVIT · OBIIT · III · IDVS · OCTOBRES
ANNO · M · DCCC · IIII · ET · AD . AEDEM · MONTIS · VGHIORVM · AD
MATERNI · GENERIS · MONVMENTVM · INLATA · EST · FILIO · SEXVS
VIRILIS · ANTE · ANNOS · XV · MORTE · PRAEREPTO · FILIAS . HABET
SVPERSTITES · CLARICEM · LAVRENTIO · MANCINIO · V · CL · COLLOCATAM
ELEONORAM · FERDINANDO · COMIT · MONTIS · ACVTI · BARBOLANIO
NVPTAM · CAROLOTTAM · DVCI · S · CLEMENTIS · DESPONSAM ·
SALVE · FILIABVS · TVIS · ALOISIA · SALVE · ET · MATRI · MISERRIMAE
QVAE · LIBERIS · III · ANTE · SE · CONDITIS · FVNVS · ETIAM · HEV
VIDIT · TVVM ·

VI.

Condita ad S. Cajetani Florentiae cum corpore V. C. Josephi Albizj Archidiaconi.

A ☧ Ω

IOSEPHVS · ALBIZIVS
LVCAE · EQ · F · EX . ISABELLA · A · VERRAZZANO
ORTV · FLORENTIAE · VTRIMQVE · PATRICIO · PATERNO · EX · GENERE
ITEM · PISIS · HIC · OPTIMAM · SVI · SPEM · A · PVERO · FACTAM
CVMVLATISSIME · EXPLENS · MATVRE · INCLARVIT · INGENIO · MORIBVS
LITTERIS · GRAECIS · LATINISQVE · CIVILI · DOCTRINA · ATQVE · IN
PRIMIS · SACRA · LAVREA · CORONATVS · INTER · IVRIS · VTRIVSQVE
CONSVLTOS · AB · ACADEMIIS · PATRIAE · SINGVLIS · COOPTATVS
DENIQVE · ETIAM · COLLEGIO · CANONICORVM · ECCLESIAE · FLORENTINAE
INSERTVS · ET · A · PETRO · LEOP · M · D · EIVSDEM · ARCHIDIACONVS
DICTVS · EST · ANNO · M · DCC · LXXV · A · PRINCIPIBVS · ITEM · AB
ARCHIEPISCOPIS · AD · GRAVISSIMA · NEGOTIA · PASSIM · ADHIBITVS
NAVITER · OMNIA · ATQVE · E · REPVBLICA · ADMINISTRAVIT · IN · LIBRIS
PRAESERTIM · ADPROBANDIS · REPROBANDISQVE · QVORVM · EDITIO
AGEBATVR · EIVS · CONSILIVM · RELIGIO · OPERA · ENITVIT
BIBLIOTHECAM · LECTISSIMAM · VSVI · ET · AMICORVM · ET · SVO · DOMI

MAGNO · AERE · INSTRVXIT · MAIOREMQVE · PECVNIAE · VIM · IN · EGENOS · CONTVLIT · IN · QVIBVS · ALENDIS · IVVANDISQVE · ILLVD · CAVIT DILIGENTISSIME · VTI · PRAETER · DEVM · COGNITOREM · ATQVE · TESTEM HABERET · NEMINEM · PLVRIBVS · DIVTVRNISQVE · MORBIS · EXERCITVS TOLERANTIAM · VIRO · CHRISTIANO · DIGNISSIMAM · PRAE · SE · TVLIT NVLLAM · IN · DOLORIBVS · VEL · ACERBISSIMIS · PROFERRE · AVDITVS VOCEM · QVERIMONIAE · DENIQVE · PRODITIS · VIRTVTVM · OMNIVM EXEMPLIS · PLVRIMIS · MAXIMISQVE · LIBENS · LAETVS · DECESSIT · VIII · IDVS · FEBRVARIAS · AN · M · DCCC · VI · QVVM · VITAE · ANNO · LXXX · EXPLENDO · DIES · XXII · DVMTAXAT · SVPERESSENT ·

AVE · SENEX · OPTIME · ET · VALE · IN · PACE ·

C A P U T V.

EPITAPHIA SACERDOTUM.

I.

Marmor Pistorii in aede Principe collocatum Episcopo Urbis.

Α ☧ Ω

FRANCISCO · FALCHIO · PICCHINESIO · VOLATERRANO
DECVRIONI · AB · ATAVIS · ITEMQ · ARCHIDIACONO · COLLEGII · CANONICOR ·
APVD · CIVES · SVOS
DOCTORI · ORDINARIO · SACRIS · LEGIBVS · INTERPRETANDIS
IN · ATHENAEO · PISANO
PONTIFICI · PISTORIENSI · PRATENSI
QVEM · HONOREM · DIVTISSIME · RELVCTANTI · DELATVM · ANNOS · PLVS · XI ·
TANTA · GESSIT · PRVDENTIA · BENIGNITATE · CONSTANTIA
QVANTAM · NVLLA · SILEAT · POSTERITAS
HVNC · PROPTER · OPINIONEM · VIRTVTIS
LEOPOLDVS · II · AVG · LIBERIS · SVIS · FAMILIAREM · VOLVIT · ESSE
EVNDEMQ · SENATVS · PISTORIENSIS
EX · AVCTORITATE · FERDINANDI · III · M · D ·
IN · ORDINEM · SPLENDIDISSIMVM · COOPTAVIT
PIVS · VIX · AN · LXVIII · M · V · D · XXV ·
DECESSIT · III · IDVS · FEBRVARIAS · ANNO · M · DCCC · III ·
IOS · ET · BARTH · EQ · STEPH · FRATRIS · FILII · F · C · EX · TESTAMENTO
QVI · LEGIS · DICITO · IESV · REDEMPTOR
HVIC · REQVIEM · SVPERVM · DA ·

II.

Missa Sutrium.

CAESARI · BRVNACCIO
NOVANENSI · I · V · D · PROTONOT · APOSTOLICO
SACERDOTI · RELIGIOSISSIMO · IVDICI · INTEGERRIMO
VIRO · OFFICIORVM · SERVANTISSIMO
QVI · SVTRINORVM · ECCLESIAE
PRO · PHILIPPO · MORNATTO · EPISCOPO
ITEM · PRO · PETRO · PAMPHILIO · CARD · VICARIVS
EIVSDEMQ · IN · PERLVSTRANDA · COMPONENDAQ · DIOECESI
ADIVTOR · LECTVS
MVNERE · INNOCENTER · ASSIDVE · FORTITER · GESTO
LABORIBVS · MAGIS · QVAM · MORBO · CONSVMPTVS · EST
PRID · KAL · DECEMBR · AN · M · DCC · LXXVI ·
CAIETANVS · BRVNACCIVS · FRATRI · OPT · QVEM · EFFERRI
LVCTV · PVBLICO · VIDIT
M · D · S · P · P ·

III.

Marmor in Ecclesia curiali pagi Petractii in agro Florentino.

IOSEPHO · M · BELLINIO · DOMO · FLORENTIA
PRESB · PRIORI · AEDIS · MARIANAE · IN · PAGO · PETRACTIO · PER · A · XXVII ·
VIRO · OPTIMI · EXEMPLI · IN · REGENDA · CVRIA · DILIGENTI
IN · EGENIS · SVBLEVANDIS · BENIGNO
IN · DEVM · ET · CAELITES · PIENTISSIMO
QVI · VIX · AN · LXVI · M · V · OB · X · KAL · DEC · AN · M · DCC · LXXX · V ·
IO · BAP · BELLINIVS · FRATRIS · F · PRESBYTER
PRIOR · IN · EIVS · LOCVM · SVFFECTVS
ET · PETRVS · FRATER · PATRVO · ATQ · EDVCATORI · B · M · POSVERE ·

IV.

Florentiae: marmor ad aedem S. Florentii P. P. Philippinorum.

DOMINICO · MOROSIO · DOMO · FLORENTIA
CONGREGATIONIS · ORATORII · PRESBYTERO
CVIVS · PRAEPOSITVRA · AN · IX ·
SANCTE · PERFVNCTVS
VITAE · LABORIOSAE · ET · MORBI · VI · ABSVMTVS · EST
OBIIT · ID · FEBR · AN · M · DCC · XCIII ·
AETATIS · SVAE · LXV ·
VIRO · IN · EXEMPLVM · PIO · MANSVETO · PRVDENTI
SODALES · CONGREGATIONIS · ET · IOAN · MOROSIVS · FRATER
B · M · P ·

V.

Marmor in agro Florentino ad aedem S. Mametis.

A ☧ Ω

ANDREAE · OCTAVII · F · BENVENVTO · PATR · FLOR ·
PRESBYTERO · PRIORI · CVRIAE · AB · SS · APOSTOLIS
MVLTIS · PRAETEREA · REI · CHRISTIANAE · CVRATIONIBVS
IVSSV · ANTISTITVM · FLORENTINORVM · SANCTISSIME
APVD · CIVES · FVNCTO
MAGISTRO · MORVM · ATQVE · EXEMPLO
QVI · OB · EGREGIAM · PIETATIS · CONSILII · DOCTRINAE · LAVDEM
AD · AMPLISSIMA · SACERDOTIA · ATQ · AD · IPSVM · PATRIAE · PONTIFICATVM
A · PETRO · LEOPOLDO · PRINCIPE · DESIGNATVS
SVMMOS · HONORES · TENAX · PROPOSITI · SEMPER · RESPVIT
AVGVSTIOR · POSTERIS · FVTVRVS · QVAM · SI · GESSISSET
VIXIT · AN · LXXII · M · VIII · D · VII · DOMI · PARCVS · IN · COELITVM · HONORIBVS
SVMPTVOSVS · IN · SVBSIDIIS · PAVPERVM · EFFVSVS
QVOS · ETIAM · HEREDES · SCRIPSIT
OBIIT · MORTEM · VITAE · CONSENTANEAM
PRID · ID · SEXTILES · A · M · DCC · XCIII ·
LVCRETIA · MANCINIA · ARRIGHIA · ET · NICOLAVS · ARRIGHIVS · F ·
QVEIS · FVNDVM
AB · HEREDIBVS · LEGAVERAT · ADFINI · FAMILIAE · SVAE · M · P ·

VI.

Marmor in agro eodem ad villam Nob. Ganucciorum.

A ☧ Ω

FRANCISCO · HYACINTHI · F · GANVCCIO · FLORENT ·
DECVRIONI · ORDINIS · PRIMI
SODALI · SOCIETATIS · IESV · PER · AN · XIX ·
POSTQVE · EAM · DISSOLVTAM
COLLEGII · IN · PATRIA · METROP · CANONICO · AN · XIV ·
QVI · EORVM · QVIBVSCVM · VIXIT
DOCTRINA · SVA · ET · MORIBVS · AMOR · DECVS · FVIT
FECIT · PHILIPPVS · EQVES · HIEROSOL · EPIS · CORTON · CVM · FRATRIB ·
FRATRI · OPTIMO · DESIDERATISSIMO
QVI · OBIIT · IV · NON · NOV · AN · M · D · CC · XCIV ·
AET · S · LIV · M · III · DIE · IX ·

VII.

Marmor in pago Querceto dioec. Faesulanae.

A ☧ Ω

DOMINICO · LAZIAR · AMERICANO · CHILIENSI
DOMO · S · IOANNE · AD · FINES
SACERDOTI · PIENTISSIMO · SOC · IESV · QVOAD · EA · STETIT · SODALI
QVI · DVM · ANIMAE · PRODIGVS
LABORANTES · PLEVRITIDE · ASSIDVVS · IVVAT
EIVSDEM · LVIS · CONTAGIONE · CONSVMPTVS · EST
IX · KAL · FEBR · AN · M · DCC · XCV ·
VIXIT · AN · LI · M · VI · OB · INGENITAM · MORVM
SIMPLICITATEM · OMNIBVS · CHARVS
M · THERESIA · DEL · ROSSO
CONIVX · MARCH · GINI · CAPPONII · PRIORIS · O · S · STEPH · P · M ·
HOSPITI · DESIDERATISSIMO
CONDITORIVM · IN · SACELLO · SVO · ET · TITVLVM · DEDIT ·

VIII.

Genuae Marmor

HILARIO · A · PRIOCCA · TAVRINENSI
ROMAE · PRAELATVRA · CVM · LAVDE · FVNCTO
CLEMENS · FRATER · M · P ·

IX.

Pisis: marmor in sepulchreto publico vulgo Campo Santo *sub imagine marmorea Jos. Bellii. Edidit V. Cl. Pacchius in Supplemento ad Vitam Ang. Fabronii.*

ANGELO · FABRONIO · V · C · DOMO · MARRADIO
DECVRIONI · PISTORIENSI
EQVITI · ET · SACRORVM · PRAEFECTO · ORD · S · STEPHANI · P · M ·
CVRATORI · ACADEMIAE · PISANAE · PER · AN · XXXIV ·
LATINORVM · HVIVS · TEMPORIS · HISTORICORVM
FACILE · PRIMO
LVCAS · FABRONIVS · PATRVELIS · EQV · ORD · S · STEPHANI
ET · CAROLVS · MAGRONIVS · EX · TESTAM · M · P · P ·
PIVS · VIX · AN · LXXI · D · XV · DECES · X · KAL · OCTOB ·
ANNO · M · DCCC · III ·

X.

Marmor Florentiae ad S. Cajetani.

IOSEPHO · LVCAE · EQV · F · DE · ALBIZZIS · V · C ·
PATRICIO · PISIS · PATRICIO · FLORENTIAE
IBIDEMQVE · ARCHIDIACONO · PER · ANN · XXX ·
CENSORI · LIBRIS · EDENDIS · PRAEF · DOMVS · PVERORVM
ALIMENTARIORVM · BIGALLENSIVM
PIO · FRVGI · ET · CVM · SVMMA · DOTRINA · ATQVE · MVLTIPLICI
MODESTISSIMO
CVIVS · CONSILIO · GRAVIA · SAEPE · NEGOTIA
ADMINISTRATIONIS · PVBLICAE · A · PRINCIPIBVS · N · DECISA · SVNT
IDEM · ACADEMIAE · DE · RE · RVSTICA · IN · VRBE · INSTITVENDAE
LEGVMQ · EIVS · CONDENDARVM · AVCTOR · IN · PRIMIS · FVIT
EAMQ · SCRIPTIS · SVIS · ORNATAM · ET · AB · EXTERIS · IMITATAM · RELIQVIT
VIXIT · ANNOS · PROPE · LXXX · COLLAVDATVS · SCRIPTORIBVS
PROBATVS · OMNIBVS
DECESSIT · POSTR · NONAS · FEBR · A · M · DCCC · VI ·
EIVSQ · MORS · VENERABILIOR · VITA · EXTITIT
EGENIS · QVEIS · METV · IACTANTIAE · CLAM · SVBVENERAT · PRAEDICANTIBVS
PARTEM · REDITVVM · EIVS · MAXIMAM · IN · OPEM · SVI · EXPENSAM
LVCAS · EQVES · ET · AMERICVS · EQV · PRIOR · PHILIPPI · EQV · PR · FF ·
EX · ORD · MILITARI · S · STEPHANI · P·· M ·
ORNAMENTO · FAMILIAE · ET · PATRIAE · SVAE · F · C ·

XI.

Marmor Florentiae ad Capitulum PP. Camaldulensium.

RAMIRO · STANISLAO · BLANCHIO · ABBATI
DOMO · CREMONA · INSTITVTO · CAMALDVLENSI
IN · LYCEO · PISANO · GEOMETRIAE · ET · MECHANICAE · DISCIPL · DOCTORI
IN · DIOECESI · FLORENTINA · ADMINISTRO · SACRAMENTI · POENITENTIAE
PERDILIGENTI
COENOBIIS · ETIAM · VIRGINVM · SAEPE · DATO · AB · ARCHIEPISCOPO · VRBIS
THEOLOGO · IN · COLLEGIVM · COOPTATO
CENSORI · OPERVM · EDENDORVM
IVDICI · EXAMINVM · AD · INITIA · ORDINVM · ECCLESIAE · SVSCIPIENDA
QVEM · CONGREGATIO · MONACHORVM · CAMALDVLENSIVM
PRAEFECTVRA · MONASTERII · FLORENTINI
ET · PROVINCIAE · TVSCIAE · BIS · AVCTVM
VIRTVTE · ET · LITTERIS · COMMENDATVM · DOMI · FORISQVE
COMITIIS · PERVSIAE · HABITIS · SVMMVM · SVI · PRAESIDEM · DIXIT
ANNO · M · DCCC · III ·
EOQ · MVNERE · SANCTISSIME · GESTO · PER · MENS · III · D · XI ·
SVBITA · APOPLEXIS · VI · DECESS · VI · ID · OCT · AN · NATVS · LIX · M · VIII · D · IX ·
MONASTERIVM · S · M · ANGELORVM · ALVMNO · ET · PARENTI
CVIVS · VOCE · ET · EXEMPLIS · ET · COMMEMORABILI · MORVM · SVAVITATE
PLVRIMI · AD · LAVDEM · DOCTRINAE · ET · AD · PIETATIS · OFFICIA · FORMATI · SVNT
M · P ·

IX. v. 9. Judici Examinum etc. *Esaminator Sinodale.*

XII.

Marmor Florentiae in introitu S. Florentii.

FRANCISCO · MARIAE · PETRI · F · SBORGIO
METROPOLITANAE · AEDIS · BENEFICIARIO · ADSIDVO
ET · IN · OMNI · MVNERIS · SVI · OFFICIO · PERDILIGENTI
THEOLOGIAM · QVAE · DE · MORIBVS · EST · PRVDENTIAM · IVRIS · SACRI
GRAECAS · LITTERAS · PROBE · DOCTVS
PROVINCIALI · SYNODO · INTERFVIT · THEOLOGVS
ET · DEFENSOR · OPTIMVS · PARTIVM · OPTIMARVM
PIVS · VIX · AN · LIV · MENS · III ·
DECES · XV · KAL · MAIAS · AN · M · DCCC · VII ·

XIII.

Marmor Faesulis.

CAROLO · PICCALVGAE
CIVI · GENUENSI · SODALI · SOC · IESV · PROFESSO
PIO · DOCTO · SALVTIS · HOMINVM · STVDIOSISSIMO
PHILOSOPHIAM · SENIS · TRADIDIT · ROMAE · ITEM · DOCTVRVS
SI · SODALITAS · EIVS · DIVTIVS · MANSISSET
EA · DELETA · INQVILINVS · FAESVLIS · MANSIT · AN · PLVS · XX ·
RERVM · CAELESTIVM · CONTEMPLATOR · HVMANARVM · CONTEMPTOR
ADVERSISSIMARVM · PATIENS · CVM · GAVDIO
VIX . AN · CIRC · LXX · OB · VI · IDVS · MAIAS · ANNO · M · DCCC · VII ·
ALEXANDER · PICCALVGA · FR · FIL · ADOPTIVVS · B M · M · P ·

CAPUT VI.

EPITAPHIA VIRORUM MINIME SACERDOTUM.

I.

Edita Florentiae.

A ☧ Ω

MEMORIAE · ET · CINERIBVS
IACOBI · MARIAE · BRIGNOLES
DVCIS · IANVENSIVM · BIS
QVOD · POST · REMPVBLICAM
A · POPVLARIBVS · AD · OPTIMATES · TRANSLATAM
NVLLI · ALII · CONTIGIT
VIXIT · ANNOS · LXXVII · D · XI ·
OBIIT FLORENTIAE · XI · KAL · IAN · AN · M · DCCC · II ·
IN · AEDIBVS · THERESIANORVM
QVAS · QVIETIS · PIETATISQVE · CAVSSA
QVINQVENNIO · ANTE · SIBI · DELEGERAT
FRANCISCVS · ET · IOANNES · CAROLVS · ET · EMMANVEL
FILII
PATRI · AMANTISSIMO · POSVERE ·

II.

Florentiae: marmor ad S. Cajetani aedem olim P. P. Theatinorum.

A ☧ Ω ·

LAVRENTIO · ANTONII · SENAT · F · DEL · ROSSO
PATR · FLOR ·
ORD · S · STEPHANI · P · M · BAIVLIVO
HIC · RELIGIONEM · PRO · DELICIIS · LITTERAS · PRO · SOLATIO
HABVIT
OPTIMOS · VERSVS · FVDIT · EX · TEMPORE
BENEFACERE · OMNIBVS · IN · OMNI · VITA · SVA · STVDVIT
V · ANN · P · M · LXIII · DECESSIT · POSTR · IDVS · IANVAR ·
A · M · DCC · LXXXIII ·
MARCH · MARIA · THERESIA · FILIA
CONIVX · MARCH · GINI · CAPPONII · PRIORIS . ORD . S · ST ·
HERES · EX · ASSE
PARENTI · OPTATISS · QVI · SE · VNICAM · VNICE · DILEXIT
FAC · CVRAVIT ·

III.

Romae: in aede Rotunda S. M. ad Martyres in marmoreo tumulo Antonii Sacchinii.

A Ω

ANTONIO · SACCHINIO · DOMO · NEAPOLI
QVEM · IN · FACIENDIS · MVSICIS · MODIS
PRAESERTIM · AD · HEROAM · SCAENAM
ITALIA · GERMANIA · ANGLIA · GALLIA
PRAESENTEM · ADMIRATAE · SVNT · MORTVVM · LVGENT
ANT · BART · DESFEBVES · DANNERY · PARISINVS
AMICO · OPTIMO · QVI · VIX · AN · LI ·
DECESSIT · LVTETIAE · PARISIORVM · AN · M · DCC · LXXXVI ·

IV.

Liburni marmor ad Sepulturam publicam vulgo Campo Santo. *Vulgatus Florentiae est titulus cum alio Com. Montauti, quem retulimus lib. II.*

A Ω

HEIC · SITVS · EST
FRIDERICVS · FRANC · F · BARBOLANIVS · V · C ·
DOMO · ARRETIO
COMES · MONTIS · ACVTI · EQVES · STEPHANIAN · EQV · LEONIS · AVRATI
CVBICVLARIVS · AVG · ADLECTVS · IN · SENATVM · FLORENTINOR ·
PRAEFECTVS · DECVMIS · EXIGVNDIS · PRAEPOSITVS · MENSAE · PIGNERATITIAE
PROCVRATOR · R · PATRIMONII
LEGATVS · EXTRA · ORDINEM · FINIVM · REGVNDORVM · CAVSSA
PRAETOR · VRBIS · ET · PORTVS · ATQ · ORAE · MARITIMAE · LIBVRNENSIVM
QVO · IN · MAGISTRATV · DECESSIT · XII · KAL · DEC ·
AN · M · DCC · LXXXVIII ·
EIQ · EX · INDVLGENTIA · PETRI · LEOPOLDI · PRINCIPIS
IMAGO · MARMOREA · CVM · ELLOGIO · AD · AEDEM · MAXIMAM · POSITA · EST
PIVS · VIXIT · AN · XLVI · M · X ·
INGENIO · LITTERIS · VSV · RERVM · SPECTATVS · COMITATE · CARVS · OMNIBVS
ALOISIA · LORENTIA · COMITISSA · CONIVGI · INCOMPARABILI
MEMORIAM · CVM · LACRYMIS ·

IV. v. 6. Praepositus Mensae pigneratitiae *Provveditore del Monte di Pietà.*
Ibid. v. 9. Praetor Urbis etc. *Governator di Livorno.*

V.

Ad Villam Ginoriam Florentiae proximam vulgo La Doccia.
Inscripta est in Sepulchro ex figulina operis saxonici, et elegantissime typis impressa.

A ☧ Ω

LAVRENTIO · CAROLI · F · GINORIO
DOMO · FLORENTIA
PATRICIA · NOBILITATE · MARCHIONI · CVBIC · AVGG ·
QVEM · FRANCISCVS · I · AVG · PRAEFECTVM · ANNONAE · IVSSIT
ET · IN · SENATVM · LEGIT
PETR · LEOPOLDVS · M · D · IIII · VIRVM · COMMERCIIS · REGVNDIS · CONSTITVIT
CIVI · BONO · ALTORI · INOPVM · PATRONO · ARTIVM · ELEGANTIORVM
VIX · AN · LVII · MENS · I · D · XX · PROBVS · MVNIFICVS · ACCEPTVS · OMNIBVS
DECESSIT · IX · KAL · OCTOBRES · AN · M · DCC · XCI ·
ATQVE · EX · PRIVILEGIO · FERD · III · PRINCIPIS · COMPOSITVS · EST
IN · AEDE · VICI · DOCCIANI
CVIVS · OFFICINAS · A · PATRE · SVO · CONDITAS
AD · FICTILIA · SAXONICI · OPERIS · IN · ETRVRIA IMITANDA
CONCLAVIBVS · OPIFICIBVS · FAMA · AVXERAT
FRANCISCA · LISCIA · CONIVGI · OPTIMO
ET · BENEDICTO · FILIO · TRIMESTRI · BIDVO · POST · OBITVM · EIVS · ABSVMPTO
BINIS · FVNERIBVS · INFELICISSIMA
M · P ·

VI.

Marmor ad Porticum PP. Servorum M. V. Florentiae.

A Ω

CINERIBVS
FRANCISCI · THOMAE · F · MEDICES
ORD · S · STEPH · BAIVLIVI · PER · DELPHINATVM
IVLIA · BILIOTTIA · VXOR · ET · OCTAVIANVS · F · B · M · P ·
PIVS · VIXIT · ANNOS · LX · M · II ·
DECESS · POSTRID · KAL · FEBR · A · M · DCC · LXXXXIII ·
POST · EXCESSVM · ANNAE · FILIAE · DIE · XXXVII ·

TE · GENITOR · VIVAM · DILEXI · TEQVE · SEPVLTAM
NATA · SEQVOR · FATO · PROXIMVS · VT · TVMVLO ·

V. v. 13. Ad fictilia etc. Vulgo *le Porcellane*. VI. v. 3. Bajulivi etc. *Balì del Delfinato*.

VII.

Marmor in eodem Porticu.

A Ω

IACOBO · MARIAE · CAIETANI · F · RAPHAELLIO
PISCIENSI · DECVRIONI · ORDINIS · PATRIAE · SVAE
VIRO · MITIS · NATVRAE · ATQVE · ANTIQVAE · PROBITATIS
CVIVS · EXIMIA · FIDES · ET · ABSTINENTIA
IN · MVLTIS · PECVNIAE · PVBLICAE · PROCVRATIONIBVS
PER · ANNOS · XXXVIII · SPLENDIDE · ENITVIT
COELEBS · VIX AN · LIX · M · VI · D · XXVI · PROBATVS · PRINCIPIBVS
CARVS · OMNIBVS · DECESS · III · ID · APR · A · M · DCC · XCIII ·
BARPTHOLOMAEVS · FR · IN · SVMMO · FLOR · MAGISTRATV · III · VIR · I · D ·
FRATRI · CONCORDISSIMO · ET · PER · AN · ANTE · EXCESSVM · XVIII.
CONVICTORI · SVAVISSIMO
CVM · TOTA · DOMO · SVA · MOERENS · P ·

VIII.

Florentiae: in marmoreo tumulo intra aedem S. Crucis.

A ☧ Ω

PETRO · IO · BAPTISTAE · F · NARDINIO
DOMO · LIBVRNO
LYRISTAE · ARGVTISSIMO · AMICI · MONVMENTVM · DE · S · P · F ·
VIXIT · AN · LXXI · M · I · DECESSIT · NON · MAI · AN · M · DCC · XCIII ·

NARDINIVS · VT · EST · CONDITVS · LVGET · LYRA
TONI · MODIQ · ET · NVMERI · AMARVM · DANT · MELOS
FLET · IPSA · RERVM · HARMONIA · QVOD · TANTVS · SVAE
SCRVTATOR · OBIIT · LEGIS · ARTISQVE · ARTIFEX ·

IX.

Ad Antellam Florentiae vicum: in praediis vulgo Mondeggi.

A ☧ Ω

NEREO · COMITVM · GVIDI · ET · VIRGINIAE · PANDOLFINIAE · F ·
GHERARDESCHIO · COMITI
QVI · STVDIA · HVMANITATIS · CARMINA · PRAESERTIM
POETARVM · EMINENTIORVM · IN · DELICIIS · HABVIT
PIVS · VIX · AN · XLIV · OB · PRID · NON · MAI · A · M · DCC · XCIV ·
GVIDVS · EQ · COMES · CVBIC · D · D · N · N · PATRVO · B · M · F ·

VII. v. 9. Vir etc. *Auditore del Magistrato Supremo.*

X.

Marmor in agro Florentino ad S. Xisti P. M.

Α ☧ Ω

H · S · E ·
FEDERICVS · FONTEBONVS · ANGELI · F ·
EX · FLAVIA · ZVCCAGNIA
QVI · BIMVLVS · IIT · AD · DEVM · KAL · MART ·
AN · M · DCC · XCIX ·
SALVE · ANIMA · INNOCENTISSIMA
ET · IVVA · NAM · POTES · TVOS ·

XI.

Marmor Florentiae apud Franciscanos S. Crucis.

☧

IOSEPHO · SALVETTO · FLORENTINO · ARCHITECTO
QVI · OB · INTEGRITATEM · FIDEI · SVBTILITATEMQVE · ARTIS
IN · AQVIS · PRAESERTIM · LIBRANDIS · CONRIVANDIS
MANDATV · PRINCIPVM · MVLTIS · OPERIBVS · PRAEFECTVS
MAGNO · ETRVRIAE · VSVI · FVIT
IS · DVCTVM · AQVAE · LIBVRNENSEM · PASSVVM · XVIII · M ·
QVVM · INCHOASSET
EIVSQVE · MOLITIONEM · SVPRA · SPEM · HVMANAM · PLVRIMIS · VISAM
AD · XII · M · PASSVVM · CIRCITER · PROMOVISSET
FATO · EST · INTERCEPTVS · IV · KAL · IAN · AN · M · DCCC ·
AET · SVAE · LXVI · M · V ·
FECERVNT · AMICI · VETERES · VIRO · PROBO · BENEMERENTISSIMO
QVI · AVSVS · TEMPORVM · ROMANORVM · HVIC · AETATI
REPRAESENTAVIT ·

XII.

Marmor Arretii apud PP. Cappuccinos.

☧

HYACINTHO · ANTON · MARIAE · F · FOSSOMBRONIO
ARRETINO
VIRO · PATRICIO · FRVGI · COMI · AMATORI · PATRIAE · SVAE
CVIVS · TABVLARIA · DILIGENTISSIME · SCRVTATVS
PER · ANNOS · CIRC · $\overline{X}$ ·
CONVENTA · DIPLOMATA · SEGETEM · MONVMENTORVM · EIVS
VIX · AB · ALIIS · LIBATAM
LEGIT · EXPENDIT · ORDINE · DIGESSIT · INDICIBVS · ADORNAVIT
CONSILIO · VRBI · SALVBERRIMO
EX · QVO · MEMORIA · CLARORVM · CIVIVM · ILLVSTRATA
FINES · AGRORVM · RECTI · PRIVILEGIA · EPISCOPATVS · $\overline{N}$ · ADSERTA
COMMODA · POPVLO · AMPLIATA
HISTORIA · ARRETINORVM · PROPE · NOVA · COORTA · EST
IDEM · INGENIO · AD · OMNES · LITTERAS · VERSATILI
ATQ · OMNIBVS · DEDITVS
OTIVMQ · AGENS · IN · CIVITATE · PLENVM · DIGNITATIS
DE · OMNI · ANTIQVITATE · DE · MATHESI · DE . PHILOSOPHIA
CONSVLENTIBVS
PROMPTE · SCITISSIMEQVE · RESPONDIT
SENECTVTEM · STVDIIS · PRAESERTIM · RELIGIONIS · ALVIT · ROBORAVITQVE
CAPTA · DIREPTAQ · VRBE · HOSTIS · VICTA · OMNIA · PRAETER · EIVS
ANIMVM · VIDIT .
PIVS · VIX · AN · $\overline{LXXIX}$ · M · $\overline{I}$ · D · $\overline{XIV}$ · DECESS · $\overline{XIV}$ · KAL · FEB ·
AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{I}$ ·
EIVS · FVNVS · INOPVM · LVCTV · PARENTEM · SVVM · INCLAMANTIVM
ORNATVM · EST
VICTORIVS · F · EQV · STEPHANIAN ·
CONSILIARIVS · PRIMI · ORD · REGIS · ETRVRIAE
PATRI · OPT · PRAECONIISQ · SCRIPTORVM · EXCELLENTIVM
COMMENDATISSIMO · F · C ·

XIII.

Marmor Parmae ap. PP. Cappuccinos.

☧

VICTORIO · AMADEO · PAVLVTIO
QVI · VIX · DIES · VIII · HORAS · XI ·
DECES · IV · KAL · MAIAS · AN · M · DCCC · I ·
MARCHIO · FRANC · IOSEPHVS · FABRICII · F · PAVLVTIVS · FOROLIVIENSIS
COMES · S · R · IMP ·
ET · MARCHION · CONSTANTIA · PALLAVICINIA · NOVA · VXOR
IN · HAC · VRBE · OB · CONDITIONEM · TEMPORVM · INQVILINI
IBIDEMQ · PATRICII · HONORARII · AVLAE · PRINCIPVM
FILIOLO · CARISSIMO
QVEM · PRIMVM · EX · CONIVGIO · SVO · SVSCEPERANT
MONVM · INTRA · HANC · AEDEM · FECERVNT
IN · QVA · VENERAB · P · HIERONYMVS · PAVLVTIVS
DE · ORDINE · MINN · CAPPVCCINORVM
ANTE · ANNOS · CLXXXI · CONDITVS · FVERAT
VT · QVOS · VNA · EDIDIT · DOMVS
EORVM · CONSOCIATOS · CINERES · TERRA · TEGAT ·

XIV.

Marmor in agro Florentino in aede S. Mariae ad Quintum.

☧

NEREO · DRAGOMANNO
GENTE · AB · ATAVIS · PATRICIA · EQV · ORDIN · TVSCI · S · STEPH ·
PRAEFECTO · MAIORI · COHORTIS · VRBANAE · FERD · III · M · D · ETR ·
TRIBVNO · ALAE · PROTECTORVM · CORPORIS · REGIS · NOSTRI
QVI · VIX · AN · XXXVI ·
PATRIAE · VTILIS · AMICIS · COMMODVS
ALTOR · EGENORVM · VXORIS · SVORVMQVE · AMANTISSIMVS
DECESSIT · AN · M · DCCC · II ·
ET · MILITARI · FVNERE · ELATVS · EST
THERESIA · PVCCIA · MARCHION · AD · LACRIMAS · RELICTA
CONIVGI · CARISSIMO · INCOMPARABILI · POSVIT ·

XIV. v. 3. Praefecto etc. *Maggiore dei Cacciatori.*
Ibid. 4. Tribuno etc. *Esente della Guardia del Corpo.*

XV.

Marmor ad Sacellum Puccium prope aedem Virginis ab Angelo salutatae. Florent.

Ι · Χ · Θ · Υ · Σ

HORATIO · ROBERTO · AEMILII · F · PVCCIO · FLOR ·
MARCHIONI · BAIVLIVO · ORD · EQV · STEPHANIANI · CVBIC · AVGG ·
SODALI · IN · OMNIBVS · PATRIAE · ACADEMIIS · COOPTATO
GEORGOPHILORVM · ETIAM · PRO · PRAESIDE
ORATORI · A · PETRO · LEOPOLDO · M · D · AD · MEDIOLANENSES
ITEMQVE · AD · GENVATES · MISSO
PRAEFECTO · CONSILII · CAVSSIS · PVPILLORVM · COGNOSCENDIS
AB · EODEM · DATO
ET · A · FERDINANDO · III · M · D · OB · MERITA · IN · SENATVM · LECTO
VIRO · PROBO · CONSTANTI · IVRIS · CIVILISQ · OMNIS · DOCTRINAE · CONSVLTO
PATRIFAMILIAS · DILIGENTI · CIVI · SOLLERTI
ET · PATRIAE · AMANTISSIMO
CVIVS · RATIONEM · AGRICVLTVRAE
STVDIIS · EXEMPLISQVE · SVIS · FRVCTVOSIOREM · REDDIDIT
CVIVS · ET · OPIFICIA
OPERIBVS · BAILEYANIS · AERE · SVO · EDITIS
REPERTISQ · EXTERORVM · COMPLVRIBVS · IN · TVSCIAM · INLATIS
CVRA · ASSIDVA · SVMPTV · MAXIMO · IVVIT
PIVS · VIX · AN · LXXII · MENS · PROPE · VII · DECESS · VI · ID · DEC · A · M · DCCC · II ·
AEMILIVS · PVCCIVS · MARCHIO · BAIVLIVVS · O · S · STEPH ·
PARENTI . OPTIMO · PIENTISSIMO · AD · CONDITORIVM · MAIORVM
QVORVM · VIRTVTEM · AVT · AEQVARAT · AVT · VICERAT
MEMORIAM · CVM · LACRIMIS · POSVIT ·

XVI.

Florentiae : marmor in Atrio P.P Servcrum M. V.

Α Ω

PETRO · DOMINICI · FILIO · PEDRONIO
DOMO · APVA
VIRO · FRVGI · PICTORI · DOCTO · ELEGANTI
MAGISTRO · PICTORVM · IN · ACADEMIA · FLORENT · PER · AN · XXV ·
ADSIDVO · PRVDENTI · DISERTO
ET · AD · INSTILLANDAM · SIMVL · CVM · ARTE · PROBITATEM · VNICE · FACTO
ANIMI · ERGA · ALVMNOS · PATERNI
QVI · QVVM · DIGNITATE · EORVM · ET · GLORIA
SENESCENTEM · IN · TVSCIA · PICTVRAE · LAVDEM · RENOVASSET
PIVS · OBIIT · POSTR · ID · SEXT · AN · M · DCCC · III ·
IGNATIVS · PEDRONIVS · FRATRI · AMANTISSIMO
QVI · VIX · AN · LVIII · M · X · D · XXV · M · P ·

XVII.

Ibidem marmor ad S. Crucis.

A Ω

CAESARI · GORIO · VIRO · CL ·
EQVITI · STEPH · SENATORI · PLVRIBVS
E · REPVB · MVNERIBVS · FVNCTO
QVI · OBIIT · SEPTVAGENARIVS · $\overline{XVI}$ · KAL · SEPT ·
ANNO · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{III}$ ·
ELISAB · PITTIA · GADDIA
VXOR · MAEST · TITVLM · POS · IN · MONVMENTO
GENTIS · GORIAE · IDEMQVE · SIBI · DESIGNAVIT
VT · CVM · VIRO · CONCORDISSIMO · ETIAM
POST · FVNVS · HABITET ·

XVIII.

Marmor ad aedem S. Hilarii in agro Florentino.
Vulgata inscriptio typis Paganis.

☧

NICOLAO · ANTONIO · FRANCISCI · MARIAE · F ·
RICCIARDO · SERGVIDIO · DOMO · FLORENTIA
LOCO · PATRICIO · EQVITI · DE · ORDINE · STEPHANI · S · P · M ·
CVBICVLARIO · AVGVSTORVM
QVI · ET · INSTINCTV · HVMANITATIS · ET · PIETATIS · INCITAMENTO
SVPRA · EXEMPLA · PRIVATORVM · HOMINVM · BENEFICVS
IN · TEMPLORVM · ORNATV · ATQVE · INOPVM · ALIMENTIS
ITEMQ · IN · REPENSANDIS · AMICORVM · OFFICIIS
ET · OBSEQVIO · FAMVLORVM · REMVNERANDO
LIBERI · OPVLENTISSIMIQ · PATRIMONII
PARTEM · MAXIMAM · CONLOCAVIT
BAR · LVCIA · SOROR · IVLIANI · FRANCESCHI · BAR · VIDVA
FRATRI · OPTIMO · AMANTISSIMO · FLENS · M · P ·
IN · AEDE · HILARII · SANCTI · QVAM · IPSE · INSTAVRATAM
ARGENTO · CAELATO · ET · VELARIIS · SERICIS · EXCOLVERAT
CAELEBS · VIX · AN · $\overline{LXXI}$ · DECESS · KAL · OCT · AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{III}$ ·
AVE · FRATER · DESIDERATISSIME ·
CONTEMPSISTI · OPES · PERITVRAS · FRVERE
SEMPITERNIS ·

XIX.

Marmor in atrio Coenobii PP. Dominican. ad S. Marci.

AVITVM · GENTIS · SVAE · MONVMENTVM
LVCAS · FABRONIVS · EQVES · ORD · S · STEPH ·
RESTAVR · CVRAVIT · A · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{IV}}$ ·

XX.

Marmor in Atrio Servorum S. M. V.

A ☧ Ω

IOSEPHO · FRANC · F · MEVCCIO
CVRATORI · CVRSVS · PVBLICI · TABELLARIIS · EXCIPIENDIS · DEDVCENDIS
VIRO · ANTIQVAE · VIRTVTIS
CARO · SVIS · PROBATO · BONIS · OMNIBVS
QVI · OB · POSTR · KAL · MAIAS · A · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{IV}}$ · AET · S · $\overline{\text{LXXI}}$ ·
FECERVNT · FILII · PATRI · OPT · B · M ·

XXI.

Marmor Florentiae: in Templo SS. Omnium, quod est Minn. Observ.

A Ω

IOSEPHO · FRANCISCO · PIERALLINIO · I · C ·
LIBVRNI · ACTARIO · MAXIMO · FORI · CIVILIS
SCRIBAE · CONSILII · A · COMMERCIIS
PRAETORI · IVRI · DICVNDO · PRAETORI · AD · RESPONSA
PROPRAEFECTO · VRBI · ORAEQ · MARITIMAE · BIS
FLORENTIAE · COLLEGII · CONSVLTORVM · PRIMO
$\overline{\text{IIII}}$ · VIRO · TVSCIAE · PROCVRANDAE · PER · INTERREGNVM · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ ·
CONSILIARIO · A · PVBLICIS · RATIONIBVS · HONORARIO
VIRO · IMMOBILIS · CONSTANTIAE
QVEM · GRATIA · ODIVM · SPES · METVS · NVNQVAM · AB · OFFICIO · DEIECERVNT
PVBLICI · PRIVATIQVE · IVRIS · DOCTRINAM
COGNITIONE · PHILOSOPHIAE · ATQ · HISTORIAE
AMOENIOREM · SALVBRIOREMQVE · EFFECIT
AMICITIAS · COLVIT · DILIGENTER
POSTERITATI · EXEMPLORVM · PLVS · QVAM · SCRIPTORVM · RELIQVIT
VIX · AN · PLVS · $\overline{\text{LXXXIII}}$ · VALETVDINE · FIRMISSIMA
MEMORIA · PROPE · AD · MIRACVLVM · TENACI · ET · DIVTVRNA
PRINCIPIBVS · CARVS · CETERIS · OB · OPINIONEM · PROBITATIS · ACCEPTISSIMVS
DECES · $\overline{\text{IV}}$ · ID · MART · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{V}}$ ·
MARIA · PIERALLINIA · FRATRIS · FILIA · FAC · CVRAVIT ·

XX. v. 2. Curatori etc. *Alla posta sopra i Corrieri*.
XXI. v. 2. Actario. *Notajo*.
Ibid. v. 3. Scribae etc. *Segretario del Commercio*.
Ibid. v. 6. Collegii etc. *Auditore di Consulta*.
Ib. v. 7. IIII. Viro Tusciae etc. *Governatore interino*.
Ib. v. 8 Consiliario etc. *Consiglier di Finanze*.

XXII.

Marmor collocatum in aede pagi Florent. vulgo le Rose.

☧

IO · BAPTISTAE · GRIFONIO · EQV · STEPHAN · I · V · D ·
IN · OFFICIO · IVRIS · REGII · IN · SACRICOLAS · EXERCENDI
PRAEPOSITO · TABVLARII
ET · IN · EA · PROCVRATIONE · ALIISQVE · PVBLICIS · PRIVATISQVE
IVSTO · SOLLERTI · BENIGNO · RELIGIOSO
QVI · POST · OBITVM · FRANCISCAE · FRESCOBALDAE · CONIVGIS
QVVM · THERESIAM · EQVITIS · FRANCISCI · DEL · TVRCO · F · DVXISSET
PARASSETQVE · EX · EA · VIRILEM SOBOLEM
ARTERIA · DISRVPTA · IN · SVORVM · COMPLEXV · REPENTE · OBIIT
PROPE · QVINQVAGENARIVS · XVI · KAL · APR · A · M · DCCC · V ·
FECIT · CAIETANVS · PATER · EQV · PRIOR · ORD · S · STEPHANI
ET · COMMENDAT · S · PAVLLI · AD · RIPAM · ARNI
ET · THER · VXOR · ET · CAROL · ET · VGOLINVS · FILII
CVM · SORORIBVS · ATTONITI · CASV · LVCTV · EXANIMATI
HEV · QVO · TE · PRORIPIS · NOSTRAE · DELICIAE · ET · COLVMEN · DOMVS ·

XXIII.

Marmor in agro Florentino; in villa Rinuccinia vulgo di Candeli, *sive* il Villino.

A Ω

ALEXANDRO · MARCH · FOLCI · F · RINVCCINIO
MARCHIONI · BASILICAE · EQV · MELITENSI
QVI · POST · TRIENNALES · IVVENVM · EIVS · ORDINIS · EXERCITATIONES
DOMVM · REVOCATVS · ET · CONIVGIO · AVCTVS
IN · FAMILIA · REGENDA · IN · EDVCANDA · SOBOLE
IN · TVENDO · PATRIMONIO
RELIGIONEM · COMMODIS · OMNIBVS · ANTETVLIT
PECVNIAM · INGENTEM · IN · EGENORVM · ALIMONIAS
ITEMQ · IN · AEDIVM · SACRARVM · AEDIFICATIONEM · CVLTVMQ · CONTVLIT
PRAEPOSITVS · SACRAE · DOMVS · A · LVDOVICO · I · REGE · DICTVS
BREVI · HONORE · ABIIT · OB · MORBVM · SONTICVM
EX · QVO · OBIIT · III · KAL · MAI · ANNO · M · D · CCC · V ·
AET · SVAE · LX · DIE · XIV ·
PETRVS · FRANC · MARCHIO · PATRI · B · M
QVI · SE · IN · HOC · MONVMENTVM
INFERRI · IVSSIT · TITVLVM · SVPERADDIDIT · PIETATIS · CAVSSA ·

XXIII. v. 3. Triennales etc. *Carovana*. *Ibid.* v. 10. Praepositus etc. *Maggiordomo Maggiore*.

XXIV.

Marmor Florentiae ad S. Foelicis. Vulgatum ibidem typis Cambiasiis.

A ☧ Ω

IOSEPHO · PETRIO · DOMO · MONTE · CAROLO
MEDICINAE · DOCTORI · PISIS · IN · LYCEO · PER · ANN · XXXV ·
IBIDEM · PER · ANNOS · XVIII · MEDICO · A · BALNEIS
ARCHIATRO · D · D · N · N · FERDINANDI · III · M · D ·
ITEMQ · LVDOVICI · I · ET · CAROLI · I · REGVM · ETR ·
ET · M · ALOISIAE · · REG · REGNI · CVRATRICIS
HIC · ARTEM · HOMINI · SALVTAREM
SCRIPTIS · ADAVXIT · CVRATIONIBVS · COMMENDAVIT
BENIGNITATE · AMABILEM · REDDIDIT
SEVERIORA · STVDIA · POESI · ET · CANTV · HILARAVIT
PIETATEM · ITA · COLVIT · VT · EAM · VNAM · ARTEM · ESSE · DICERET
ET · BEATE · VIVENDI · ET · CVM · BONA · SPE · MORIENDI
DECESS · III · KAL · IVNIAS · AN · M · DCCC · V · AET · S · LXXIII ·
MICHAEL · CANONICVS · FRATRI · AMANTISSIMO ·

XXV.

Marmor Clannii in agro Florentino ad Sodalitatem Paroeciae.

A Ω

HEIC · SITVS · EST
ALOISIVS · TAGLINIVS · CLANNENSIS · I · V · D ·
QVI · ANNOS · NATVS · NECDVM · XXI · PROPTER · INGENII
MAGNITVDINEM · ET · CELEREM · IN · LITTERIS · MATVRITATEM
LYCEO · PISANO · DOCTOR · DECVRIALIS
LEGIBVS · INTERPRETANDIS · DATVS · EST
A · FRANCISCO · I · AVGVSTO · EIVSQVE · DIGNITAS
AMICITIA · ET · PRAECONIO · EIVS · TEMPORIS
IN · IVRE · PRINCIPVM · COMPROBATA · EST
SPEM · PRIMAE · IVVENTVTIS · LAETISSIMAM
GRAVIS · INQVIES · EX · LVCTV · ANTONII · FRATRIS
MAGNI · NOMINIS · CAVSSIDICI · REPENTE · PRAECIDIT
EX · QVA · POST · ANNOS · XV · RECREATVS · VALETVDINE
DEINCEPS · VSVS · EST · INFIRMA · ET · AD · PRISTINVM
GLORIAE · CVRSVM · REPETENDVM · INOPPORTVNA
VIXIT . AD · ANNVM · CIRC · LXVIII · SIBI · ET · SVIS
OBIIT · XVII · KAL · QVINTILES · ANNO · M · DCCC · V ·
DOCVMENTVM · FORTVNAE · MVLTA · SAEPE ·
POLLICENTIS · PAVCA · PRAESTANTIS
VINCENTIVS · FRAT · ROSA · TAGLINIA · ROMAGNOLIA
SOROR · SVPERSTITES · ET · SORORVM · TRIVM · FILII
VIRO · OPTIMO · SVORVMQ · AMANTISSIMO · M · P ·

XXV. v. 5. Doctor decurialis. *Lettore ordinario.*

XXVI.

☧

Marmor ad S. Sophiam in Regno Etr. in aede Principe.

NICOLAO · M · GENTILI · COMITI
IVRIDICO · PER · COMPLVRES · ETRVR · VRBES
AEQVO · SAPIENTI
QVI · DECESS · OCTOGENARIVS · $\overline{XII}$ · KAL · SEPT ·
AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{V}$ ·
FILII · PARENTI · AMANTISSIMO
CVI · REM · DECVSQVE · FAMILIAE · AVCTVM
ET · EXEMPLA · SANCTISSIMA · VIRTVTVM · DEBENT ·

XXVII.

Marmor ad PP. Dominicanos apud S. Marcum.

Α ☧ Ω

FRIDERICO · DE · RICCIIS · V · C ·
I · V · D · EQV · PRIORI · STEPHANIANO · SENAT · FLORENTINO
CVIVS · IN · ADMINISTRATIONE · MVNERVM · PVBLICORVM
PRVDENTIA · HVMANITAS · DIGNITAS · IN · VRBE · ENITVIT
PRAEFECTVS · CONSILIO · PVPILLIS · TVENDIS
AETATEM · MVLTIS · OBNOXIAM · PERICVLIS · TVTAM · PRAESTITIT
EIVS · INOPIAE · SVBVENTOR · IVRIVM · VINDEX · INSTITVTIONIS · ADCVRATOR
PARENTI · PROPIOR · QVAM · PATRONO
DECESS · PRAEPOS · MENSAE · PVBLICAE · AD · PECVNIAM · FENEBREM
$\overline{IV}$ · KAL · SEPT · ANNO · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{V}$ · AET · SVAE · $\overline{LXVIII}$ ·
PIETATIS · QVAM · SEMPER · COLVERAT · AD · FINEM · TENAX
LVCRETIA · ANTINORIA · CONIVX
CIVI · OPTIMO · MARITO · INCOMPARABILI
INLATO · IN · TVMVLVM · GENTIS · RICCIAE · EX · TEST ·
TITVLVM · ET · LACRIMAS ·

XXVI. v. 2. Juridico, *Vicario*.

XXVIII.

Marmor ad Eccl. Campalliae in dioec. Collensi.

A Ω

ANDREAE · XAV · MORELLIO · SENENSI · NEGOTIATORI
QVEM · OB · ABSIDVVM · ORANDI · SVPEROS · STVDIVM
PROFVSAMQVE · IN · PAVPERES · STIPEM
VIRTVTEMQVE · A · PVERO · PRAE · SE · LATAM · DOMI · FORISQVE
VIRVM · BONI · EXEMPLI · CIVES · APPELLITAVERVNT
ALMAM · DEI · PARENTEM · COLVIT · EXIMIE
EAMQVE · VOCE · EXTREMA · COMPELLANS
ADSVM · INQVIT · MATER · VENIO · AD · TE · SILENTIOQ · PAVLLISPER · FACTO
OB · IV · ID · NOV · AN · M · DCCC · V · AET · S · LXXXV · M · IX ·
VIRO · OPTIMO · PATRIFAMILIAS · INCOMPARABILI
FRANC · CIVCCIA · VXOR
CVM · IOANNE · CANON · FRANCISCO · THEOLOGIAE · DOCT ·
IN · COLLEGIO · GEORG ·
ALOISIO · MED · DOCT · IN · ACADEMIA · PISANA · PRAETEREA · LIBERIS · III ·
QVOS · EDVCATOS · LIBERALITER
ET · SATIS · LAVTOS · RELIQVIT
CORPVS · EIVS · IN · HAC · AEDE · SITVM · QVAM · MVLTO · AERE
ORNAVERAT
ET · IN · QVA · CINERES · SVOS · CONDI · VOLVIT ·

XXIX.

Marmor Florentiae ad S. Mariae Novellae.

☧

IO · BAPTISTAE · PETRI · F · STROCTIO · COMITI
VIRO · RELIGIOSISSIMO · ET · CVM · SVMMA · DIGNITATE · HVMANISSIMO
QVI · OB · INGENITAM · VERECVNDIAM · AB · OFFICIIS · PVB · ALIENVS
SIBI · ET · SVIS · VIX · AD · ANN · PROPE · LXXIII · MVLTIS · ETIAM · VTILIS
INCORRVPTAE · VITAE · EXEMPLO · CONSILIIS · RE · FAMILIARI
MARCH · ANNA · STROCTIA · RICCARDIA · FR · F · HERES · TITVLVM · P ·
PATRVO · CARISS · QVEM · IN · AVITO · MONVMENTO · COMPONENDVM
ET · MARMOR · RENOVANDVM · CVR ·
DECESSIT · AN · M · DCCC · V · XVII · KAL · IAN ·

XXX.

Marmor ad S. Marci veteris in dioecesi Florentina.

A ☧ Ω

IOSEPHO · FALDIO
MAGISTRO · OPERARIORVM · AD · AEDIFICIA · PRINCIPIS · $\overline{N}$ ·
HIC · QVIDQVID · AB · OFFICIO · SVPERERAT · TEMPORIS
IN · PIETATIS · EXERCITATIONES · CONFEREBAT
FRVGI · EDVCATOR · SOBOLIS · AMATOR · EGENORVM
OB · IPSO · SACRAE · PARASCEVES · DIE · HORA · A · MERID · CIRC · $\overline{III}$.
PRID · NONAS · APRILES · A · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{VI}$ ·
MAGDAL · GRASSIA · VXOR · ET · RAPHAEL · F · CVM · FRATRIBVS · $\overline{III}$ ·
PATRI · FAMILIAS · INCOMPARABILI
M · P ·

XXXI.

Marmor ad S. Felicitatis.

A Ω

IOANNI · DONATI · FANTASTICI · FILIO
GEMMARIO
VIRO · PROBITATIS · ANTIQVAE · BENIGNITATIS · EFFVSAE
ABSTINENTIAE · ADMIRABILIS
VIXIT · SVMMIS · INFIMISQVE · CARISSIMVS · A · P · M · $\overline{LXXV}$ ·
OBIIT · PROPE · LVCTVS · PVBLICVS · AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{VI}$ ·
$\overline{VII}$. KAL . IANVAR .
FORTVNATA · SVLGHER · MARITO · INCOMPARABILI
QVI · EAM · VIVENS · DILEXIT · VNICE
MORIENS · LIBERALISSIMO · TESTAMENTO · HONORAVIT
M · F ·

XXX v. 2. Magistro Operariorum *Capo Maestro muratore*.

XXXII.

Marmor ad S. Mariae Novellae.

A ☧ Ω

HORATIO · ORICELLARIO · EQV · PRIORI · ORD · S · STEPH · P · M ·
IO · BAPTISTAE · RICASOLI · F · EX · VIRGINIA · ORICELLARIA
IOANNIS · CASAE · SORORIS · FILIA · SCRIPTORIS · ELEGANTISSIMI
CVIVS · NITOREM · IS · ET · VERSV
ET · PROSA · ORATIONE · REPRAESENTAVIT
SCRIPSIT · DE · PHILOSOPHIA · DIALOGOS
PRIMORIBVS · AETATIS · SVAE · LITTERATIS · MIRE · PROBATOS
FRANCISCI · MARIAE · MEDICES · CARDINALIS · MODERATOR · STVDIORVM
ET · FLORENTINAE · IVVENTVTIS · HORTATOR · AD · VIRTVTEM
ET · EXEMPLAR . FVIT
EIVS · PROPTEREA · SOCRATES · ET · HABITVS · ET · DICTVS
BIBL · LAVRENTIANAE · PATRIIS · ACADEMIIS · FVRFVRATORVM · PRAESERTIM
PRAEFVIT · CVM · LAVDE
AD · FERDIN · II · AVG · ET · AD · VLADISLAVM · IV · POLONIAE · REG ·
LEGATVS · SPLENDIDE . OFFICIVM · SVVM · FVNCTVS · EST
V · AN · CIRC · LXIX · PIVS · OB · POSTR · NON · FEBRVAR ·
A · M · DC · LXXIII ·
LEOPOLDVS · RICASOLVS · EQ · PRIOR · ORD · S · S · INDIGNVM · RATVS
TANTVM · FAMILIAE · SVAE · DECVS · SINE · HONORE · MORTIS · IACERE
TITVLVM · AD · EIVS · CINERES · POS · AN · M · DCCC · VII ·

XXXIII.

Marmor ad Antellam Florentiae vicum: in praediis vulgo Mondeggi.

A ☧ Ω

CAMILLO · GHERARDESCHIO · COMITI
ORD · S · STEPHANI · BAIVLIVO · CVBICVLARIO · REGIO
PROLEGATO · DE · EXERCITV · DVCI · PROTECTORVM · LATERIS · DD · NN ·
QVI · VIX · AN · PLVS · LXX ·
OBIIT · III · NON · APR · AN · M · DCCC · VII ·
ET · FVNERE · PVBLICO · EOQ · SPLENDIDISSIMO · ELATVS · EST
HIC · OB · INGENITAM · VERECVNDIAM
TESTAMENTO · CAVIT
NEQVID · ELLOGII · TVMVLO · EIVS · INSCRIBERETVR
GVIDVS · GHERARDESCHIVS · COMES · F · EQVES · STEPHANIANVS
TITVLVM · SINE · ELLOGIO · AT · NON · SINE · LACRIMIS ·

CAPUT VII.

IN OBITU MVLIERVM.

I.

In obitu Matris

ELEGIA.

Si nihil optandum magis est, quam puriter actam
Post vitam, egregium mortis habere modum;
Nec gemitu fas est cineres urgere piorum,
Quos ad coelestum credimus isse domos;
Complexuque Patris Divum, mensaque receptos
Omnimodas animo pascere delicias;
Nil mage laudandum te una; nil, o bona Mater,
Nil minus in vita flebile morte tua est.
Occidis; at quantis vixti virtutibus augens!
Ut frugi! ut tota mente pudica, proba!
Quale genus nuptas dicuntur prisca tulisse
Saecula; quum ingenium femina multivolum
Nondum etiam ad varias comendi adverterat artes;
Nulla pede in numerum pellere norat humum;
Aut pellucidulas cupide conquirere gemmas;
Aut se crystallum pingere ad oppositam:
Verum ad honestatem vitae, praescriptaque legum
Gnatorum tenero fingere ab ungue animos;
Munditiem curare laris; nec corpore tantum,
Quantum animo cultas posse placere viro,
Laus erat e primis nuptarum laudibus. Vt tum
Cana Fides, rectique auxia sedulitas,
Et Pudor et nivea gaudens Concordia vitta
Usque maritales accoluere toros!
Et passim tecti intra limina concursantes
Miscebant casti millia multa joci.
O caesas laeto saeclorum tempore taedas!
O bene texta comis flammea virgineis!
Talis pontivago postquam est deducta marito
Fertur Ulyssaeam sponsa tenere domum.

Sic flos nuptarum meruit Capaneja conjux
    Argivae dici fama pudicitiae;
Queis tu non ullo officio concedere digna,
    Longe etiam certa relligione prior,
Proh mortem horrificam, quam fortiter adspectasti!
    Ut febrium tristi septa satellitio
Adstitit, injecitque manus! Heu parce! quid istam?
    Me potius pete mors, oro, meumque caput:
Nec matura tibi est, nec caedi digna, nec unam
    Fers animam: nam post vivere qui potero?
Talia dum jactat, frustra pia, turba tuorum
    Externata, tuis pallidiorque genis,
Sola expers terroris eras, sola inscia luctus,
    Sola potens voces fundere clarisonas,
O Genitrix: quin te ridere in limine leti,
    Et vultu insuetam expromere laetitiam
Commemorant: tantum mens recti conscia, tantum
    Mortales pietas, et benefacta juvant.
At quae ibi tum moriens, quae Mater verba loquuta es
    Aeria immotis astra tuens oculis?
Nam neque sic viso praegestit navita portu,
    Vix ea, quae se scit visere, vera putans;
Qui quum barbarica stiparit merce carinam
    Per dubium immensi navit iter pelagi;
Atque alio, atque alio jactatus turbine venti
    Vix tandem patriae sistitur incolumis,
Possit ubi jam opibus partis, jam prole parata
    Otia secura degere canitie.
Sed majora tuum mulcebant gaudia pectus,
    Quam quod vis animi dispicere ulla queat.
Ipsa videbatur coelestum regia Divum
    Conspicuam vestris se dare luminibus,
Nec non amplifice gemmatum pandere limen,
    Quod tereres sacro Diva novella pede;
Et circum volitans hac illac coelica pubes
    In sua te blandis tecta ciere modis.
Omnia quae toto dum gestis pectore apisci,
    Non mirum est tanta fervere laetitia.
Fortunata! tenes quod dudum sueta perire es:
    Quo curae illae animi pertinuere tui;

Fervida quum labro suspendere vota solebas
    Submisso noctes poplite pervigilans;
Quum quantum gnatae studet anxia mater alendae,
    Tantum inopum ardebas tute levare famem.
Vel quum discupiens temet torquere, sedebas
    Appositis prohibens ora, manusque epulis,
Ipsa cibi tamen et causans fastidia potus,
    O laeta, o omni ex parte beata Parens.
Ecce etenim claro contingis lumine Numen,
    Cujus te in vita tantus edebat amor.
Quare ego jam cur me excrucio? Cur omnia luctu
    Pergo, et maestis incendere carminibus?
Cur factum fieri infectum pueriliter opto?
    Nempe id non Matri, sed bene velle mihi est.
Ne vivam, Mater, si non tua me bona laetant
    Ista magis, mea quam me mala sollicitent;
Et peream si non stultorum more dolere
    Mi videor; centum jam prope luciferis
Exactis, postquam mortis tibi solvere honores
    Instituimus, primas et dedimus lacrymas.
Sed, quamquam invitus facio, mihi flere necesse est.
    Nam quis naturae fortior imperitet?
Quae furtim impellens certo praecordia motu
    (Motu, quem frustra nosse cupit Sophia)
Indomitos miscet nostro sub pectore fluctus
    Hinc amor, ira, odium, taedia, tristitiae;
Queis quamquam ratio conn;titur obluctari,
    Non tamen haec penitus murmura, vimque domat;
Unde reluctantes etiam natura valet nos
    Curarum praeceps abripere in barathrum;
Quas illi vires primaevi (triste!) parentis
    Unius, una omnes addidit ingluvies,
Impia furtivi delibans munera pomi;
    Hinc scelerum, hinc poenarum orta maligna seges.
Tum senuit ratio; contra juvenescere coepit
    Natura; et mortis plurima aperta via est,
Infandae mortis: quae digna, indigna secari,
    Dum non placanda falce cruenta premit,
Mi misero eripuit charae solatia Matris;
    Vae misero ante tuum, Mater, adempta diem!

Heu mortem in longo mihi tempore lamentandam!
    Heu lucem dignam deteriore nota!
Omnia postilla mi gaudia felle madere
    Sunt visa, atque merum mi sapere helleborum.
Praeterea quidquid curarum in faucibus Orci
    Densavit veterum vana superstitio,
Id visum est totum nostro sub corde locatum
    Innumeris pessum me dare velle modis;
Cui nunc rara dolor indulget munera somni,
    Atque eadem horrendis turbat imaginibus.
Cogit et alloquiis meme dum solor amicorum
    Uvida prae fletu lumina deicere,
Paullatimque bonum depascens corpore succum
    Reddit inauratae me similem statuae;
Quin mea tabifico respergens viscera viro,
    Emunctis artus viribus attenuat;
Ac veluti quum olim radicibus exturbatur
    Vivida ad Eurotae consita laurus aquas,
Quae tum forte suae nutribat frondis in umbra
    Deciduo enatam semine progeniem,
Haec quoque materna sensim labefacta ruina
    Squallet mutatis decolor in foliis,
Inque dies, horasque magis magis obdurescens
    Torpet iners, totisque arida brachiolis,
Nullaque praeportat veteris vestigia vitae;
    Sic nostro carptim pectore sensus abit;
Ut leto videar modico jam tempore abesse,
    Si ferus hic pergit gliscere corde dolor.
Sed tamen, ut fessae tulerant incendia mentis,
    Haec tibi Castalidum munera persolüi,
O Mater, charum semper mihi nomen, et ipsis
    Hisce oculis longe charius atque anima;
Non quod musaeos mi quidquam afferre lepores
    Autumem, et hanc animo eradere amaritiem,
Sed ne sic abeas nullis defleta Camoenis,
    Id gnati esse pii duximus officium.
O Superi, queis est sacrae tutela Poesis,
    Assidua quorum haec scripta juvantur ope;
(Vere si perhibent afflatu carmina vestro
    Progigni, et vatum corda calere Deo)

In vestra hoc, quodcumque, fide sit carmen, adoro;
Carmen et in maesto carmine dicta Parens.
Neu sinite, aut studium hoc penitus vanescere nostrum,
Illius aut nomen nocte silente tegi:
Verum ut eam vulgo secrevit lucida virtus,
Sic facite ab vulgi conditione vacet.
Olli vos reparate brevis dispendia vitae,
Vos meritae longas reddite olympiadas.
Ut quae non vidit senium, his concredita chartis
Non aspernando foenore vivat anus.

II.

Florentiae: marmor prope sepulchum Patris relatum Cap. VI. num. 6.

A ☧ Ω

ANNAE · IOSEPHAE · MEDICEAE
VIRGVNCVLAE · SVPRA · AETATEM · PRVDENTI
QVAE · ANNVM · AGENS · XV · DIVTINO · ABSVMPTA · MORBO
ID · VNVM · INDOLVIT
QVOD · SE · MINVS · QVAM · VELLET · ORNATAM · SPONSO · DEO
SISTERET
FRANCISCVS · MEDICEVS · EQVES · BAIVLIVVS · PER · DELPHINATVM · O · S · S ·
CVM · IVLIA · BILIOTTIA
FECERVNT · FILIAE · CHARISS · QVAE · OB · VI · KAL · IAN ·
ANNO · D · M · DCC · XCII ·

III.

Florentiae ad porticum Coenobii PP. Servorum M. V. marmor.

A Ω

CINERIBVS
MARIAE · ANGELAE · FRANCESCHINAE
DOMO · ROMA · QVAE · VIXIT · ANNOS · LIV ·
DECESSIT · VIII · KAL · MAIAS · AN · M · DCC · XCIII ·
INNOCENTIVS · SPINACTIVS · SCVLPTOR · M · E · D · MARMORARIVS
EIVSDEMQ · ARTIS · MAGISTER · DE · SCHOLIS · PVBLICIS
CONIVGI · OPTIMAE · ET · BENEMERENTISSIMAE · P ·

IV.

Marmor in agro Cortonensi: ad S. Margaritam in Cegliolo.

A Ω

ELISABETHAE · BONAE
HIERON · BALDELLII · EQVITIS · S · STEPH · P · M ·
QVAE · GRATA · FORMA · PRAECLARA · MENTIS · INDOLE
LECTIONE · ADSIDVA · SINE · DOCENTIS · VOCE
IN · RE · AGRARIA · PRAESERTIM · ATQVE · BOTANICA
MIROS · PROGRESSVS · HABVIT
EIVS · DOMVS · IVVANDIS · HOMINIBVS · VEL · ALIENISSIMIS · SEMPER · PATVIT
VIXIT · AN · LVIII · MENS · IV · DIES · XXV · CHARA · OMNIBVS
OBIIT · MORTEM · VIRTVTIBVS · INSIGNEM · III · NON · DECEMBRES
AN · M · DCC · LXXXXIX ·
FECIT · IO · BAPT · BALDELLIVS · EQV · MATRI · AMANTISSIMAE
CVIVS · CVRA · AD · PIETATEM · BONASQVE · LITTERAS
ET · CIVILEM · CVLTVM · INSTRVCTVS
NIL · IPSI · NON · DEBVIT ·

V.

Bassani: marmor ad S. Hieronymi.

A Ω

ELEONORAE · ODOARDI · COMITIS · DE · COLLE · ALTO · F ·
VENETAE
GENERE · INGENIO · FORMA
CONIVGIO · ANDREAE · CAPPELLI
VENETORVM · AD · AVLAS · PRINCIPVM · COMPLVRES · LEGATI
DOMI · FORISQVE · SPECTATISSIMAE
HAEC · PER · AN · XVIII · VIDVITATEM · BASSANI · EXEGIT
INTRA · SEPTA · VIRGINVM · CASSINATIVM · AD · S · HIERONYMI
RELIGIOSA · ALTRIX · EGENORVM · VICTRIX · ANIMI · SVI
QVAE · ETIAM · HAVSTO · PER · ANCILLAE · FRAVDEM · VENENO
NECEM · PROPE · ILLATAM · BENEFICIIS · REPENSAVIT
N · COMPOSTELLA · CANONICVS
PROTONOTARIVS · APOSTOLICVS · EXTRA · VRBEM
OB · PRAECLARA · EIVS · IN · SE · ET · IN · AEDEM · S · IOANNIS · MERITA
VIX · AN · LXXII · M · XI · DIES · V ·
DECESSIT · XVII · KAL · MAIAS · AN · M · DCCC · I ·

VI.

Marmor ad Paroeciam S. Crucis in agro Bassanensi.

A ☧ Ω

VRSVLAE · ANDREAE · F · SERAPHINAE
ANIMAE · INNOCENTISSIMAE
QVAE · SEMOTA · AB · VRBE · DOMI · ABDITA
CVRAM · REI · FAMILIARIS · AMOREM · CONIVGIS · SOBOLISQVE
OFFICIA · CVNCTA · CHRISTIANAE · VITAE
PRO · DELICIIS · SVIS · HABVIT
ANTONIVS · REMONDINIVS · COMES · GORVMBERGII
VXORI · OPTIMAE · QVICVM · VIXIT · AN · III · MENS · I ·
NEQVE · PRAETER · FATI · CELERITATEM
QVIDQVAM · DE · EA · QVERI · POTVIT
DEPOSITA · VI · KAL · IVN · AN · M · DCCC · I ·
AET · SVAE · XXIII ·

VII.

In agro Florentino marmor ad villam Lessiam in vico vulgo Castello.

☧

MEMORIAE · ET · CINERIBVS
MARIAE · FRANCISCAE · CAMILLI · F · FENZIAE
FEMINAE · CASTISSIMAE
OMNISQVE · VITAE · OFFICII · SERVANTISSIMAE
QVAE · VALETVDINE · DIV · TENTATA · GLISCENTISQVE · MORBI
VIM · PASSA
SPE · MANSVRAE · BEATITATIS · DOLOREM · MORTEM · FORTIS
LIBENS · TVLIT
BERNARDVS · LESSIVS · CONIVGI · OPT · INCOMPARABILI
QVAE · VIX · AN · XLI · M · VIII · D · VI · DEPOSITA · IV · KAL · IAN ·
ANNO · M · D · CCC · II ·

VIII.

Marmor Florentiae in aede S. Mariae Maj. PP. Carmelitarum.

A Ω

MONVMENTVM · CERRETANORVM
CVIVS · SVPREMA · SOBOLES
CASSANDRA · M · PHILIPPI · SENAT · ET · VICT · ZANCHIAE · F ·
MATRONA · DE · SACRA · AVLA
COOPTATA · IN · ORDINEM · THEVTON · DE · CRVCE · STELLATA
HVC · MANSVM · VENIT · X · KAL · MAIAS
A · M · DCCC · II ·
VIXERAT · AN · CIRC · LXX · DIGNA · MAIORIBVS · EXEMPLVM
POSTGENITIS
VINC · GONDIVS · IN · FAMILIAM · EIVS · ADSCITVS
TITVLVM · MARMORI · SVPERADDIDIT ·

IX.

Marmor in agro Florent. ad Villam vulgo le Romite.

H · S · E ·
VRSVLA · CLEMENTIS · I · V · DOCT · F · VANNINIA
DOMO · SENA
PHILIPPI · NERII · BONCHRISTIANI · FLOR · I · V · DOCT · VXOR
MATER · LIBERORVM · XIII ·
HAEC · POST · SVBITVM · VIRI · EXCESSVM · TVTRIX · SOBOLI · DATA
PATRIMONIVM · EIVS · IMPEDITISSIMVM · EXPLICAVIT · ATQVE · AVXIT
ET · MORES · MONITIS · EXEMPLISQ · SANCTISSIMIS
AD · PIETATEM · FINXIT
FRVGI · DOMISEDA · EGENIS · BENIGNA
OTII · ET · VOLVPTATVM · INIMICA
NISI · QVAS · CONSCIENTIA · RECTE · FACTORVM
BONIS · MENTIBVS · PARIT
VIX · AN · LXXXVIII · M · IV · CVM · VIRO · AN · XVI ·
SINE · VLLA · DISCORDIA
VIDVA · AN · LIII · SINE · VLLO · OBLOCVTORE
DECESSIT · V · ID · SEPT · AN · M · DCCC · II ·
CVIVS · FORTEM · VIVENTIS · MORIENTISQ · ANIMVM
NOTI · OMNES · MIRATI · SVNT
IOS · SACERDOS · CONGR · MISSIONIS · CVM · IO · BAPT · FRATRE
MATRI · OPTIME · DE · SE · MERITAE · POSVERE
AVE · ANIMA · INNOCENTISSIMA · TE · ☧ · RECIPIAT · IN · PACE ·

X.

Marmor in agro eodem ad villam Scandicci·

A ☧ Ω

MARIAE · IOANNIS · SENAT · F · FEDERICIAE
VXORI · ALDEBRANDI · ALTOVITAE · EQV · STEPHAN · SENAT ·
MATRONAE · PIISSIMAE · COMI · SOLATRICI · INOPVM
LAVDATI · PER · OMNIA · EXEMPLI
CVIVS · INGENIVM · ERVDITIO · VIS · ANIMI
FAMILIAEQVE · GVBERNANDAE · PRVDENTIA
LONGE · VLTRA · FOEMINAM · FVIT
QVAE · APOPLEXI · TENTATA · QVVM · CAPTIS · ARTVBVS
PATIENTISSIME · PER · TRIENNIVM · VIXISSET
REPETITO · MORBI · ICTV
MORTEM · OBIIT · VITAE · CONSENTANEAM
XI · KAL · NOV · AN · M · DCCC · III ·
AET · SVAE · XLII · M · VIII ·
GVILIELMVS · ALTOVITA · EQV . STEPH · F ·
VNIGENA · SEXVS · VIRILIS · PARENTI · OPTATISSIMAE
PROXIME · VIRVM · QVEM · VIVA · MIRE · DILEXERAT
LOCVM · SEPVLTVRAE · CVM · FLETV · DEDIT
O · MATER · O · TVTRIX · O · AETATIS · COLVMEN · MEAE
QVOT · EGO · VNA · IN · TE · AMISI · BONA ·

XI.

Marmor Florentiae ad S. Crucis.

A . ☧ Ω

MARIAE · MAGDALENAE · IO · FRANC · SENAT · EQV · F ·
QVARATESIAE
VXORI · IO · ANGELI · LENZONII · EQV · DE · ORD · S · STEPH ·
FEM · CLARISS · OB · INGENIVM · HILARE · PIETATE · SOLIDA · TEMPERATVM
DOMESTICIS · EXTERISQVE · ACCEPTISSIMAE
QVAE · VIRO · PROPERE · EXTINCTO
SOBOLIS · ADCVRANDAE · DOMVS · REGENDAE
EXEMPLVM · VIDVIS · MATRIBVS · FVIT
VLCVS · PECTORE · SERPENS · RELIGIONE · SVSTENTATA
PERDIV · FORTITER · TVLIT
EODEMQVE · ABSVMPTA · DECES · XI · KAL · APRIL · A · M · DCCC · IV ·
AET · S · FERE · LXX ·
EQVES · IO · FRANC · LENZONIVS · MATRI · AMANTISS · INCOMPARABILI
F · C ·

XII.

Marmor in agro Florent. ad Parocciam pagi S. Petri in Palco.

A Ω

MARGARITAE · ALEXANDRAE
COSMAE · EQVITIS · STEPH · EX · VIRGINIA · CAPPONIA · MARCH · FILIAE
VXORI · AMERICI · ANTINORII · EQ · STEPH · SENATORIS · FLOR ·
A · M · THERESIA · AVG · COOPTATAE · IN · ORD · MATRONARVM
AB · CRVCE · STELLATA
FEMINAE · SANCTISSIMAE · FRVGI · MODESTAE · SOLATRICI · PAVPERVM
QVAE · FECVNDITATE · LIBERORVM · EORVMQVE · INSTITVTIONE
ITEMQVE · STVDIO · CONCORDIAE · ATQ · ADCVRATIONE · REI · FAMILIARIS
FELICISSIMOS · PER · OMNIA · SVOS · FECERAT · SI · DIVTVRNIOR · FVISSET
DECESSIT · PVERPERII · NONI · DIE · DECIMO
MODO · SOSPES · REPENTE · EXANIMIS · NVMQVAM · IMPARATA
QVAE · VIXERAT · QVASI · QVOTIDIE · MORITVRA
OB · ANNOS · NATA · XL · M · IV · D · XXV · AN · M · DCCC · IV ·
TRIVMPHALI · ASSVMPTAE · IN · CAELVM · VIRGINIS · DIE
CVI · DICATISSIMA · SEMPER · FVERAT
CVIVS · ET · PROPE · ARAM · SESE · CONDITAM · VOLVIT
AMERICVS · ANTINORIVS · CONIVGI · OPTIMAE · INCOMPARABILI
TITVLVM · RESPERSVM · LACRIMIS · SVORVM · ET · SVIS · DAT ·

XIII.

Marmor apud Flor. in aede PP. Cappuccinorum.

A Ω

QVIETI · ET · MEMORIAE
ALOISIAE · ALOISII · COM · BAIVLIVI
LEGATI · REG · CHRISTIANISS · APVD · M · E · D · FIL · LORENTIAE
EX · M · MINERVA · SOBOLE · VGHIORVM · POSTREMA
ADVOCATORVM · AB · IMMEMORABILI · AEVO · PONTIFICATVS · FLORENTINI
QVAE · LAETA · INDOLE · FORMA · EGREGIA
FRIDERICO · BARBOLANIO · ARRETINO · COM · MONTIS · ACVTI
PRAEFECTO · VRBIS · PORTVSQ · LIBVRNENSIS
NVPTA · ET · IN · CELEBRI · EVROPAE · EMPORIO · LOCATA
DIGNITATEM · CONIVGIS · SPECTATISSIMI · VIRTVTE · SVA · AVXIT
PIA · FRVGI · OFFICIOSA · ACCEPTA · PRINCIPIBVS
QVORVM · BENEFICIO · INTER · PATRICIAS · AVLAE · R · HONORARIAS
ET · IN · ORDINEM · MATRONALEM · CRVCIS · STELLATAE · COOPTATA · EST
VIDVA · ANNOS · FERE · QVINDECIM
DOMVM · REXIT · CONSILIIS · VIRO · PROPIOR · QVAM · FEMINAE
A · M · DCCC · I · ARRETIO · BELLVM · FAMEM · ATQ · EXTREMA · PASSO
CIVES · PLVRIMOS · AVRO · ETIAM · GEMMISQ · COSMETICIS · PIGNERATIS
PARTIM · EGENTES · ALVIT · PARTIM · OBSIDES · REDEMIT
VIXIT · A · XLIV · M · II · OB · III · ID · OCT · AN · M · DCCC · IV ·
CAROLOTTA · CLARICES · ELEONORA · MATR · OPT · PON · CVR ·

XIV.

Augustae Taurinorum.

A ☧ Ω

CAROLOTTAE · ALOISII · F · DVCHIAE · DOMO · AVG · TAVRINORVM
CAROLI · ALFIERII · SOSTEGNII · DVCIS
QVAE · TOTA · PVLCHERRIMA · ET · VENERES · SORTITA · OMNES
ADMIRABILIOR · MENTIS · HABITV · FVIT
PIA · MAGNANIMA · LIBERALIS
LITTERIS · PICTVRA · MVSICE · ERVDITISSIMA
ANNOS · NATA · XXX · AERVMNAS · LONGI · TEMPORIS · SVBIIT
FRATRE · LEVIRO · BELLO · AMISSIS
MATRE · INTRA · ANNOS · L · FILIOLO · DELICIO · SVO
INTRA · A · VII · EXTINCTIS
VIRO · CAPTIVO · ET · IN · GALLIAS · ABDVCTO
PARTVBVS · IV · INFELICISSIMIS
QVAE · OMNIA · INFRACTO · ANIMO · TVLIT
DENIQVE · VIRIBVS · CEDENTIBVS
LITTERAS · PLENAS · INGENII · OFFICII · RELIGIONIS · AD · MARITVM
ET · FILIOS · DEDIT
QVIBVS · LIBEROS · PATRI · PATREM · LIBERIS · COMMENDAVIT
IISDEMQVE · PAVLO · ANTE · OBITVM · SIGNATIS
OB · XV · KAL · SEPT · ANNO · M · DCCC · V ·
FECIT · CAROLVS · ALFIERIVS · CVM · FILIIS · III ·
MATRI · FAMILIAS · INCOMPARABILI
CVIVS · DICTA · NON · IN · ANIMIS · MODO · EORVM
SED · IN · OCVLIS · HAERENT · HAEREBVNT
AVE · O · LVX · AVE · O · DESIDERIVM · NOSTRVM ·

XV.

Marmor ad Paroeciam Montis Ughiorum.

A ☧ Ω

CATHARINAE · AGRESTI
QVAE · VIX · AN · LI · M · VI · D · XIV ·
MATRI · FAMILIAS · INCOMPARABILI
LAVR · TACIVS · CONIVX · CVM · LIBERIS · III ·
QVI · EIVS · OBITVM · SI · LICERET · OPTASSENT
REDIMERE · QVISQVE · SVO
DECESS · VI · KAL · SEPT · ANNO · M · DCCC · V · IN · PACE ·

XVI.

Ad Nivangium (Comitem Jo. Bizzarrium) de uxore immature mortua, et insolabiliter defleta. Epigramma (1) *editum Flor. in libro:* Poesie di varj Autori in morte di Maria Tarma de Bizzarro 1806.

Ἔι τι, Νίουαγγι, φίλον, κωφοῖς χάριεν τι τάφοισι
    Γέιναςθ' ἐξ ὀδύνης ἡμετέρας δύναται
Παλαιοὺς ὁπόταν πόθῳ ἐγκαινοῦμεν ἔρωτας,
    Καὶ αποβλήθεισας κλαίομεν ἆυ φίλιας,
Τόσσον ἀλὴτως ὀυκ Ἀμάριθθις μοῖραν ἄωραν
    Πένθει, ὅσσον μὲν χάιρετ' ἔρωτι τεῷ.

Si quidquam mutis gratum, acceptumque sepulcris
    A nostro accidere, Calve, dolore potest,
Quum desiderio veteres renovamus amores,
    Atque iterum amissas flemus amicitias,
Certe non tanto mors immatura dolori est
    Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

XVII.

Florentiae edita in libro: Elogio di Anna Santucci Camaiori.

☧

ANNAE · SANCTVCCIAE · CAMAIORIAE
DOMO · PISIS · ORTV · PATRICIO
FEMINAE · EXEMPLI · RARISSIMI
ATQ · ANIMI · SVPRA · MODVM · CONSTANTIS
QVAE · INTER · DIVTVRNA · VALETVDINIS · INCOMMODA
SOLATORIS · VOCE · NVNQVAM · EGVIT
FRANCISCVS · CAMAIORIVS · PATRIC · SENENSIS
VXORI · BENE · MERENTISSIMAE
CVIVS · IN · REGENDA · DOMO · OMNIQ · RE · FAMILIARI · ADMINISTRANDA
SEDVLITATEM · ADMIRABILEM · SVM · EXPERTVS · AN · CIRC · XLII ·
MONVM · CVM · LACRIMIS · POSVI
PIA · VIX · AN · LXII · OB · XVI · KAL · FEBR ·
ANNO · M · DCCC · VI ·

(1) Ex Catulli Carmine 94. transtuli in graecum, propriis tantum nominibus immutatis.

XVIII.

Marmor Florentiae ad S. Crucis.

A Ω

CAMILLAE · ALEXANDRI · MARCH · F · RINVCCINIAE
VIRGINI · ANTE · ANNOS · SAPIENTI
CANDORE · ANIMI · ET · MODESTIA · MORVM
SVIS · EXTERISQVE · CARISSIMAE
QVAE · INSTINCTV · DIVINITATIS
SVBITO · AD · COELESTIVM · DELICIARVM · CVPIDITATEM · SPEMQVE
INFLAMMATA
MORBI · ATROCITATEM · DIVTVRNAM · SINE · GEMITV
MORTIS · ACERBITATEM · SINE · QVESTV · PERTVLIT
DECESSIT · VI · KAL · MARTIAS · ANNO · M · DCCC · VI ·
FECIT · PETRVS · FRANCISCVS · SORORI · DESIDERATISSIMAE
QVAE · VIX · AN · XX · M · VI · DIES · XVIII ·

XIX.

Marmor apud Sanctimoniales Monticellianas.

☧

MARIAE · THERESIAE · FRANC · EQV · MARCH · MEDICEI · F ·
EX · MARGARITA · TORNAQVINCIA
QVAE · MONTICELLIANIS · VIRGINIBVS · ADDITA
THERESIAE · GERTRVDIS · NOMINE
QVVM · AN · PROPE · XVIII · RELIGIOSISSIME · IBI · VIXISSET
EX · PLEVRITIDE · OB · POSTR · IDVS · NOV · A · M · DCCC · VI ·
ANNOS · NATA · XXXVIII · M · V · D · XIV ·
FRATRES · NE · TANTAE · VIRTVTIS · MEMORIA · OBSOLESCERET
MON · P · P ·

XX.

Marmor ad S. Mariam Novellam Florentiae.

A Ω

ISABELLAE · TALCHIAE
VXORI · IOSEPHI · RICCII · SCRIBARVM · IMPERII · ADIVTORIS
QVI · EIVS · CONNVBIO · VSVS · PER · ANNOS · IV ·
SIBI · MORIGERAM · PERPETVO · INVENIT · PVDICAM · MITEM · PIAM
VIRTVTVM · PLVS · COMPOTEM · QVAM · TITVLO · SCRIBI · POSSIT
MORTIS · QVASI · PRAESCIA · EX · PARTV · SECVTVRAE
RELIGIONIS · OFFICIA · DVPLICAVIT
OBIIT · PACATISSIMA · V · IDVS · FEBRVAR · AN · M · DCCC · VII ·
AET · SVAE · XXII · M · XI ·
FECIT · VIR · MAESTISSIMVS · CONIVGI · INCOMPARABILI · MON ·

XXI.

Marmor in Monte Politiano ad Sacrarium PP. Franciscanorum. Prodiit Florentiae.

A ☧ Ω

MARIAE · ALOISIAE
REMYENSI · ET · TVRIQVIENSI · BARONISSAE
IN · LOTHARINGIA
FEMINAE · PIENTISSIMAE · VXORI · AMANTISSIMAE · MATRIFAM · DILIGENTI
MIRE · IN · EGENOS · ET · CALAMITOSOS · OMNIS · GENERIS · MISERICORDI
QVAE · VIX · AN · LI · M · X · D · IV ·
OBIIT · EX · APOPLEXI · POSTR · NONAS · MARTIAS
AN · M · DCCC · VII ·
ALEXANDER · COCCONIVS · PATRIC · POLITIANVS
VXORI · INCOMPARABILI · CONTRA · VOTVM · SVPERSTES
ACERBITATE · ACCEPTA · M · P · AD · MEMOR · POSTERITATIS ·

APPENDIX.

LIB I. CAP. II.

Ad aram B. Mariae Bagnesiae, ubi geminae depictae historiae; altera, in qua Virgo elata est populo corpus ejus floribus coronante; altera e regione, in qua gratulatio ejus apotheosis expressa est. Pinxit V. erudit. Serbolinius.

PRIMI HONORES
B · MARIAE BAGNESIAE
CIVI · SVAE · HABITI
A · POPVLO · FLORENTINO ·

Alter titulus nihil differt a primo; nisi quod SVMMI HONORES, *non* PRIMI *hic leguntur.*

LIB. II. CAP. I.

Inscriptiones sub picturis erud. Virorum Ademolli et Latii ordinatis ab erud. viro Paschale Pocciantio Architecto ad Porticum Helvetiorum; ubi Regi nostro tributa persoluta sunt juxta morem die S. Joan. Baptistae sacro. Picturarum vero argumentum totum fuit a Cl. V. Onuphrio Bono Regiorum aedificiorum per Etruriam Praefecto propositum: selecti Etruriae fasti, quibus e turbulentissimo illo Reip. statu in Monarchiam redacta vere crevit: unde totius operis summa Virgilianis illis verbis indicabatur, quae tamquam titulus operis universi in fronte porticus erant praescripta: sic fortis Etruria crevit. *Fasti vero depicti Etruriam Regali veste indutam repraesentabant, haec aut illa disponentem, jubentemve juxta argumentorum varietatem; vel urbem aliquam Tuscam. V. Ephemer. Tuscas num. 26.*

I. *Urbs Liburnus, navale, fax: Mercurius urbi merces exteras ostendit mari importatas. Inscriptio.*

PORTVS · LIBVRNENSIS · FVNDATVS
COPIAE · IMPERIO · AVCTAE ·

II. *Maria Medice Henrico Regi Gallorum nupta.*

CONIVGIA · CVM · BORBONICIS · ET · AVSTRIACIS
OPES · ETRVRIAE · FIRMATAE ·

III. *Bacchus et Ceres Etruriae munera sua offerunt. Procul artifices, qui ruricolis domos parant.*

COMMERCII · LIBERTAS · INDVLTA
EXSICCATAE · PALVDES · VIAE · COMPLANATAE · AGRICVLTVRA · AVCTA ·

IV. *Etruria in suggestu sedens coronas summis viris distribuit; Galilaeio, Magalottio, Redio, ceteris, qui Monarchia stante floruerunt.*

LITTERAE · PATROCINIO · ETRVSCORVM · PRINCIPVM · EXCVLTAE
CORYPHAEI · LITTERATORVM · ENATI ·

V. *Etruria inter Artifices magni nominis; quales sunt Bonarrotius, Cellinius, Cigolus, aliique, quos Principatus extulit, aut juvit.*

ARTES · QVAE · AD · GRAPHICEN · PERTINENT
BONARROTIO · PRAESERTIM · DVCE · IN · ETRVRIA · FLORENT ·

LIB. II. CAP. II.

Titulus ad portam S. Frediani inscriptus, quum DD. NN. Pisis Florentiam reverterentur. Vulgatus in Ephem. Tusca.

CAROLVM · REGEM · ET · M · ALOISIAM · REGINAM
REGNI · ADMINISTRAM
QVIBVS · SOSPITIBVS · SOSPES · ETRVRIA · EST
COMMVNE · FLORENTINORVM
PISIS · REDVCES · CVNCTIS · ORDINIBVS · GESTIENTIBVS
FESTO · APPARATV · EXCIPIEBAT
XIIII · KAL · QVINTILES · ANNO · M · DCCC · VII ·

LIB. II. CAP. III.

Marmor in Aula Magna Collegii Sororum Pactianarum.

MARIAE · ALOISIAE · REGINAE · ETRVRIAE
CAROLI · R · N · PARENTI · REGNIQVE · EIVS · CVRATRICI
QVOD · ARCAM · B · MARIAE · BAGNESIAE · ARGENTEAM
EXQVISITI · OPERIS · COMPARAVERIT
SORORES · COLLEGII · N · HVMANITER · ET · SAEPE · INVISERIT
INSIGNEM · ERGA · HVNC · LOCVM · ADFECTIONEM
BENEFACTIS · PLVRIMIS · MAXIMISQVE · TESTATA · SIT
VIRGINES · COLLEGII · PACTIENSIS · PATRONAE · AVGVSTAE ·

LIB. II. CAP. V.

In Tubum opticum Galilaeii, qui in R. Museo physico adservatur.

TVBVM · OPTICVM · VIDES · GALILAEII · INVENTVM · ET · OPVS
QVO · SOLIS · MACVLAS · ET · EXTIMOS · LVNAE · MONTES
ET · IOVIS · SATELLITES
ET · NOVAM · QVASI · RERVM · VNIVERSITATEM · PRIMVS · DISPEXIT
AN · M · DC · IX ·

LIB. II. CAP. V.

II. *Missa Senas pro nova via foro maximo imminente.*

CAROLO · LVDOVICO · I · H · REGE · ETRVRIAE
M · ALOISIA · I · H · REGINA
PARENTE · EIVS · REGNIQVE · ADMINISTRA
PRAEFECTO · VRBIS
VRSO · PANNOCCHIESCHIO · DE · ILICIO · MARCH · COMITE
CVBICVL · DD · NN ·
VIII · VIRI · VIAM · DOMVNCVLIS · ANGVSTATAM
EISDEM · DEIECTIS · AMPLIOREM · ET · DIGNIOREM · LOCO
REDDIDERVNT
EX · PECVNIA · COLLATICIA
QVAM · MAGISTRATVS · MONTIS · PASCVORVM
ET · CIVES · PLVRIMI · CONTVLERVNT
AN · M · DCCC · VII ·

III. *Marmor in pago vulgo* Vaglia.

SABATINVS · CAMBIVS · S · PETRI · AD · VALIAM · CVRIO · MAIOR
LOCVM · TEMPLI · VETERIS · LEOPOLDO · M · DVCE · DEIECTI
MOX · VSVI · PVBLICAE · SEPVLTVRAE · ALIQVANTISPER · DESTINATVM
MACERIA · CLVSIT · ANNO · M · DCCC · VII ·

LIB. II. CAP. VIII.

I. *Ad effigiem marmoream.*

ALOISIAM · CARLOTTAM
LVDOVICI · ETRVR · REGIS · FILIAM
IOS · BELLIVS · SCVLPT · REGIVS
EXPRESSIT
DEVOTVS · R · CELSITVDINI · EIVS ·

II. Lare sub imagine Francisci Matteii.

FRANCISCVS · MATTEIVS · I · V · D ·
HIC · NATVS · LIBVRNI
HONESTA · IN · FAMILIA · MAIORIBVS · LITTERATIS
QVVM · SEDEM · VITAE · ET · FORTVNARVM · LARE · COLLOCASSET
IDEM · OPPIDVM · QVASI · PATRIAM · ALTERAM · DILEXIT · IVVIT
TABVLARIVM · EIVS · SCRIBA · AB · ACTIS · PVBLICIS · ORDINAVIT
ADAVXITQVE
PAVPERIBVS · DE · CRIMINE · POSTVLATIS · DEFENSOR · DATVS
A · PETRO · LEOPOLDO · PRINCIPE
MVLTIS · MORTALIBVS · LEVAMENTO · AVT · SALVTI · FVIT
ACTIONES · CIVILES · ITA · IN · FORO · HABVIT
VT · NON · MAGIS · IVRIS · QVAM · IVSTITIAE · CONSVLTVS
VIDERI · POSSET
GNAVVS · INTEGER · TANTAE · PRAESERTIM · ABSTINENTIAE
VT · TENVIORIBVS · GRATIS · ADESSET
AMPLAM · RATVS · MERCEDEM · RECTE · FACTI · CONSCIENTIAM
OTII · DESIDIAEQ · EXPERS · TEMPVS · AB · OFFICIO · VACVVM
AD · MITIORA · STVDIA · ET · MAXIME · AD · POESIM · CONTVLIT
SVMMAM · SENECTVTEM · PARI · CVM · DIGNITATE · OBTINENS
SOLITVDINEM · EIVS · AETATIS
COMITATE · DOCTRINA · CONSILIO · VITAVIT
CIVIBVS · DOMESTICVM · VSVM
CVM · SENE · OPTIMO · VVLGO · EXPETENTIBVS
QVEM · PROPE · NONAGENARIVM · MORIENTEM
NATVRAE · SATIS · SIBI · PARVM · VIXISSE · PRAEDICANT
DECESSIT · POSTR · ID · IANVAR · AN · M · DCCC · VI ·

v. 6. Scriba etc. *Cancelliere*. v. 8. Pauperibus etc. *Avvocato de' poveri*.

III. *In aedibus N. V. Maximiliani Libri inscripta ad imaginem Bellianam erud. V. Salvatoris Pazzagliae.*

SALVATOR · PAZZAGLIA · LIBVRNENSIS
MODERATOR · SYMPHONIACORVM · DE · SACRA · AVLA
SVB · TEMPORE · ETRVR · PRINCIPVM
PETRI · LEOPOLDI · ET · FERDINANDI · III · MM · DD ·
ITEM
LVDOVICI · I · ET · CAROLI · I · REGVM
HIC · IN · FACIENDIS · MVSICIS · MODIS
HANDELII · BRITANNICI · DISCIPLINAM · SEQVVTVS.
PROXIME · EVM · ACCESSIT
GRAVITATE · NVMERORVM · PRAESTANTIA · ARTIS
LINGVAS · ANGLORVM · GERMANORVM · GALLICAM · LATINAM
CALLVIT · STVDIORVM · HVMANITATIS · EXPERS · NON · FVIT
PIVS · VIX · AN · LXXXI · M · VII · D · VII ·
OB · POSTR · ID · MAIAS · A · M · DCCC · VII ·
EIVS · IMAGINEM · HOSPES · INTVERIS · CVRA · MAXIMILIANI
LIBRI · EXPRESSAM
QVI · AMICO · OPTIMO · RELIGIOSISSIMO · SVPREMVM · HOC · OFFICIVM
LIBENS · MERITO · PERSOLVIT ·

IV. *Tituli inscripti ad effigies clarorum hominum in Museo Physico.*

I.

GALILAEO · GALILAEIO
OB · NOVAE · PHILOSOPHIAE · ADSERTAM · ITALIAE
GLORIAM ·

II.

LEOPOLDO · MEDICEO · CARD ·
OB · TENTATAM · EXPERIMENTIS · NATVRAM
INSIGNEMQVE · EA · DE · RE · ACADEMIAM · INSTITVTAM ·

III.

AMERICO · VESPVCCIO
OB · QVARTAM · ORBIS · TERRAE · PARTEM
AB · EO · REPERTORE · AMERICAM · NOMINATAM

IV.

BIRINGVCCIO
CHIMIAE · PERITO · CVI · RECENTIORVM · REPERTA
INTER · VETVSTATIS · TENEBRAS · SVBOLVERE ·

V.

ANTONIO · NERIO
QVOD · CRYSTALLI · VITRIQVE · ETIAM · COLORATI
PRIMVS · ARTEM · APVD · NOS · DISERTE · EXPLICVERIT ·

VI.

PETRO · ANDREAE · MATTIOLIO
OB · REVOCATVM · IN · ITALIAM
STVDIVM · HERBARVM · HVM · GENERI · SALVBERRIMVM ·

VII.

ANDREAE · CESALPINO
ANATOMICO · SVI · TEMPORIS · PRIMO
VNDE · SANGVINIS · CIRCVLATIO · PRIMVM · INNOTVIT ·

VIII.

VINCENTIO · VIVIANO
OB · CVRRENTIVM · AQVARVM · NATVRAM · FELICITER · INDAGATAM
PRAXIMQVE · COHIBENDARVM · CONSTITVTAM ·

IX.

EVANGELISTAE · TORRICELLIO
OB · AERIS · GRAVITATEM · TVBO · EXPLORATAM
VNDE · ΕΠΟΧΗ · PHILOSOPHIAE · MEMORABILIS · COORTA · EST ·

X.

LAVRENTIO · MAGALOTTO
OB · TENTAMINA · LEOPOLDINAE · ACADEMIAE
INCOMPARABILI · STILO · DESCRIPTA · EVVLGATA ·

XI.

FRANCISCO · REDIO
MEDICO · PHILOSOPHO · POETAE
TRIVM · ARTIVM · QVAS · EST · PROFESSVS · RESTAVRATORI ·

XII.

PETRO · ANTONIO · MICHELIO
MORTALIVM · OMNIVM · IN · PERVESTIGANDIS · STIRPIBVS
SAGACISSIMO
QVARVM · $\overline{IV}$. · MIL · SVPERIORVM · CATALOGIS · ADDIDIT ·

XIII.

ANTONIO · COCCHIO
OB · DOCTRINAE · ET · LINGVAE · PRAESTANTIAM
MEDICIS · OPERIBVS · COPVLATAM ·

XIV.

IO · TARGIONIO · TOZZETTO
OB · ETRVRIAM · PERAGRATAM
INDICATASQ · EIVS · OPES · NATVRAE · ET · ARTIS ·

LIB. III. CAP. IV.

Inscriptio condita cum corpore Comitis Orlandi del Benino in aede S. Spiritus.

A ☧ · Ω

ORLANDVS · FRANCISCI · FIL · MALEVOLTIVS · DEL · BENINO · PATRIC ·
FLORENTINVS · SENENSIS · BONONIENSIS · COMES · EQVES · STEPHANIANVS
CVBIC · AVGVSTORVM · TRIVM · ETRVRIAE · PRINCIPVM · QVINQVE ·
HIC · INSTITVTVS · FLORENTIAE · LAVREA · CORONATVS · PISIS · INTER
IVRIDICOS · ACADEMIAS · PATRIAE · PROPE · OMNES · CVM · LAVDE
TENVIT · PVBLICIS · OFFICIIS · ADMOTVS · PROCVRATOR · VIARVM
ALVEORVM · FLVMINVM · PRAESES · ADMINISTRATIONIS · NOBILIBVS
ADPROBANDIS · SENATOR · FLOR · ET · SENATVS · SCRIBA · PERPETVVS
FVIT · VIR · MORVM · CANDIDISSIMOR · EXCELSI · PIENTISSIMIQVE
ANIMI · IVSTI · TENAX · IN · PRIMIS · HABITVS · EST · BENEFACERE
OMNIBVS · QVIBVS · POTVIT · STVDVIT · SAEPE · ETIAM · SVA · COMMODA
POSTHABVIT · ALIENIS · PATRIMONIVM · NACTVS · OPVLENTVM · PARTEM
EIVS · NON · MEDIOCREM · PVELLIS · PERICLITANTIB · CONLOCANDIS
EGENIS · QVOS · OPEM · PALAM · PETERE · PVDOR · VETARET · SEMPER
INSVMPSIT · DEVM · TESTEM · BENEFACTORVM · APPETENS · HOMINES
NON · ITEM · EIVS · OPERA · VRBIS · INSTITVTA · EGENIS · ATQ ·
AEGROTIS · SVBLEVANDIS · PROTECTA · ET · IVVATA · COLLEGIA
VIRGINVM · DICATARVM · DOMVS · PATRICIAE · IVSSV · PRINCIPVM
PERMVLTAE · INTEGRE · NITIDEQVE · ADMINISTRATAE · PVPILLI · A
PARENTIBVS · TVTELAE · EIVS · COMMENDATI · IN · LIBERORVM · LOCO
HABITI · ET · ORBITATIS · INCOMMODIS · LEVATI · SVNT · DOCTORVM
VIRORVM · VSV · DELECTATVS · IIS · FREQVENTISSIMAM · HABVIT · DOMVM
ABSENTES · COLVIT · DILIGENTER · COMMERCIIS · LITTERARVM · ET
VRBANARVM · RERVM · PROCVRATIONE · IN · IIS · COMMEMORANDVS
IN · PRIMIS · EST · ANGELVS · FABRONIVS · EQVES · ET · ATHENAEI · PISANI
PRAEFECTVS · QVICVM · EI · TANTA · INTERCESSIT · AMICITIA · ET
FAMILIARITAS · QVANTAM · MAXIMAM · CAPERE · HOMINVM · ANIMI
POSSVNT · LIBROS · DILEXIT · PRAESERTIM · RELIGIONI · CONSERVANDAE

ET · DEFENDENDAE · QVIBVS · PER · OMNE · VITAE · TEMPVS · PARATIS
BIBLIOTHECAM · TANDEM · EAMQVE · REFERTISSIMAM · APERVIT · QVAM
AMICIS · LIBERALITER · LIBRIS · LEGENDIS · COMMODANDISQVE · VTILEM
VOLVIT · ESSE · SENIOR · CL · FEM · MARCHIONISSAM · HORTENSIAM
GERINIAM · CAROLI · FIL · VXOREM · DVXIT · QVAM · DILEXIT · VNICE · EX
QVA · FILIVM · VNVM · RELIQVIT · INCOLVMEM · ME · FERDINANDVM · QVI
VTINAM · IN · VITA · TVI · SIMILIS · PATER · ET · IN · MORTE · PATIENTER
SVBEVNDA · IMITATOR · TVI · VALEAM · ESSE · TE · CERTE · VIRTVTEMQ ·
TVAM · ET · IN · TVOS · BENEVOLENTIAM · CVRAMQVE · SINGVLAREM
IN · MORIBVS · ET · IN · DOCTRINA · INFORMANDI · MEI · PRAE · OCVLIS
HABEBO · SEMPER · COLAMQVE · MEMORIA · SEMPITERNA ·
VIX · AN · LXXIV · MENS · X · DIES · XVII ·
OBIIT · III · IDVS · QVINCTILES · EX · CIBI · FASTIDIO · AN · M · DCCC · VII ·
AVE · PATER · OPTIME · DESIDERATISSIME · TE · CHRISTVS · IN · PACE ·

LIB. III. CAP. VI.

I. *Florentiae in Ecclesia S. Spiritus.*

A ☧ Ω

ORLANDO · MALEVOLTIO · DEL · BENINO
COMITI · EQV · STEPH · CVBICVLARIO · AVG · III · PRINCIPVM · ETR · V ·
SENATORI · ET · SCRIBAE · SENATVS
PRAEF · CVRATIONIS · NOBILIBVS · ADPROBRANDIS
VIRO · PROBO · SOLLERTI · MANSVETO · PIO
QVI · ALIORVM · COMMODIS · NATVS · SVORVM · PROPE · IMMEMOR · VIXIT
DECESSIT · EX · CIBI · FASTIDIO · III · IDVS · QVINCTIL ·
AN · M · DCCC · VII · AET · S · PROPE · LXXV ·
HORTENSIA · GERINIA · MARCH · VXOR · ET · FERD · FIL · COM .
B · MERENTISSIMO · P · P ·

II. *Marmor in aede S. Dominici prope Faesulas.*

A ☧ Ω

LEOPOLDO · EQVITIS · BENEDICTI · F · PALMERIO · FLORENTINO
PIENTISSIMO · IVVENI · QVI · EX · VIRVLENTIA · TVMORIS
PER · MENSES · SEXDECIM · PATIENTISSIME · TOLERATI
DECES · XV · KAL · SEXT · A · M · DCCC · VII · AE · S · XXVII · M · PROPE · VI ·
ET · ELISABETHAE · FRIDERICI · F · DALLAR · PARENTI · EIVS
PIAE · INVICTI · IN · ADVERSIS · ANIMI · CONSOLATRICI · INOPVM
IN · LIBERIS · EDVCANDIS · MIRE · SOLLERTI
QVAE · OBIIT · ANNO · M · DCC · LXXXXIII · AE · SVAE · XLVII ·
EIVSQVE · RELLIQVIAS · EX · CONDITORIO · VILLAE · SVAE · TRANSLATAS
HEIC · PROPE · SE · COMPONI · VOLVIT
FEMINAE · FILII · AMANTISSIMAE · ATQVE · ASSIDVE
PRO · IPSIVS · BEATITATE · SOLLICITAE
AD · QVAM · CONIVNCTIM · RESVRGANT
ELISAB · DEL · PACE · PALMERIA · CVRATRIX · LIBERORVM · ET · HEREDITATIS
CONIVGI · ET · SOCRVI · DESIDERATISSIMIS · EX · TESTAMENTO ·

In dedicatione Lycei publici: vulgata typis Guilielmi Piatti.

MARIAE · ALOISIAE · I · H · REGINAE · ETR ·
CAROLI · R · N · PARENTI · ET TVTRICI · REGNIQ · EIVS · ADMINISTRAE
QVOD · IN · DOCTRINAE PVBLICAE · SPEM
MVSEO · PHYSICO · IN · LYCEI · VSVM · PERMISSO
SCHOLAS · IBIDEM · QVAE · PLERAEQVE · DESIDERABANTVR
PHYSICES · PER · EXPERIMENTA · ASTRONOMIAE · CHIMIAE
HISTORIAE · ANIMANTIVM · HIST · FODINARVM · HIST · HERBARVM
ANATOMES · HOMINIS · CVM · ANAT · BRVTORVM · CONLATAE
LOCO · OPPORTVNISSIMO · ET · AB · EXEMPLIS · PARATISSIMO · DESTINARIT
PETRIQ · LEOPOLDI · M · D · CONSILIVM
OPTATVM · AD · EXITVM · CITO · FELICITERQ · PERDVXERIT
CIVITAS · FLORENTINORVM
POLITISSIMIS · EVROPAE · GENTIBVS · IN · ADIVTORIIS · AD · DISCIPLINAS · PAR
DOMINAE · CLEMENTISSIMAE · GRATIAS
DEDICATVM · XVIII · KALEND · SEPTEMBRES · A · M · DCCC · VII ·
IVVENES · ADESTE · ET PLAVDITE

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM

LIBER PRIMUS

PRO SANCTIS COELITIBUS.

LIBER SECUNDUS

PRO VIRIS ET FEMINIS ILLUSTRIBUS.

LIBER TERTIUS

PRO MANIBUS PIIS.